


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google





Digitized by Google

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ COMPENDIUM

A CHRISTO NATO *usque ad* *Annum* MDCC.

Auctore

JOH. ALPH. TURRETTINO
in Ecclesia & Academia Genevensi
PASTORE, S. THEOLOGIÆ & HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORE.






GENEVÆ,

Typis FABRI & BARRILLOT.

M. DCC. XXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google



AUGUSTISSIMO

SERENISSIMOQUE

PRINCIPI

FRIDERICO

PRINCIPI HASSIÆ,

HEROICI SANGUINIS

HÆREDI,

HAUD DEGENERI

Digitized by Google

PRINCIPI JUVENTUTIS
VENTURÆ ÆTATIS
SPEI

PERPETUA
DIVINARUM BENEDICTIONUM
INCREMENTA
OPTAT
JOH. ALPH. TURRETTINUS.



ERunt hauddubiè qui me vituperent, SERENISSIME PRINCEPS, quòd exiguam hanc opel-

Digitized by Google

opellam, nullo ornatu, nullis meritis insignem, neque aliis dotibus quàm Veri studio, & aliquo fortè rerum delectu atque ordine se commendantem, Illustrissimo Nomini Tuo inscribere ausim. Neque verò eam effugere censuram liceret, si apud eos agenda sit caussa, quibus minùs perspecta sit singularis Tua humanitas, atque in Literas omnes & Literatos

Digitized by Google

tos propenſio. Sed eam Tu præclaram indolem, & Principe digniſſimam, à natura quidem inſitam, curis verò præſtantiſſimorum Virorum Tuæ Juventuti præpoſitorum ſtudioſiſſimè excultam, in oculis, in ore omnium poſuiſti. Expertus loquor; Experti & mecum quotquot hîc habemus, cùm Politico, tum Sacro in Ordine, Muſarum cultores; Qui ad col-

lo-

Digitized by Google

loquium Tuum, imò & mensam, persæpe admissi, non raram modò ingenii Tui sagacitatem, stupendósque, ac supra ætatem, in Disciplinis progressus, sed & amabilem illam morum facilitatem, comitatem, modestiam, quibus CELSITUDINIS TUÆ fastigium temperas, mirari satis nequeunt. Cùm verò non paucas hactenùs temporis Tui partes suo sibi jure

Digitized by Google

vindicaverint Literæ humaniores, Hiſtoria Civilis, Philoſophia & Mathematicæ Diſciplinæ, Juris Naturalis principia, & quæ princeps eſt Diſciplinarum omnium RELIGIO, en *HISTORIA* noſtra *ECCLESIASTICA*, quæ Tuum etiam favorem ambit, magnóque honori ducet, ſi aliquot etiam horas in ea evolvenda conſumpſeris. In ea videbis, SERENISSIMOS AN-

Digitized by Google

ANTECESSORES TUOS é primis fuiſſe, qui, excuſſô Papali jugô, ad puriora Sacrà acceſſerint, eorúmque ſe patronos & vindices præſtiterint. Eóſdem & cernes, pio conſilio, componendis *Proteſtantium* diſſidiis operam non ſemel impendiſſe, teſte *Colloquio Marpurgenſi* an. 1529. & *Caſſellano* an. 1661. Quibus in ſtudiis, aliiſque omnibus ad pietatem & virtutem pertinentibus,

Digitized by Google

bus, Te gloriosa Ipsorum vestigia felicissimè calcaturum nulli dubitamus. Faxit DEUS OPTIMUS MAXIMUS, ut perpetuis ad magna, ad præclara omnia progressibus, AUGUSTISSIMO PATRUO, SUECORUM REGI, FORTISSIMO PARENTI, GULIELMO, totíque SERENISSIMÆ DOMUI, & gaudio, & ornamento esse pergas, eámque quam de

Te

Digitized by Google

Te excitâſti ſpem, non impleas tantùm, verùm etiam ſuperes. Erit interim cur magnoperè ſibi plaudat *GENEVA* noſtra, ſi, prò honorifico illo *Athenarum noſtri temporis*, quô eam decorâſti, titulo, aliquid viciſſim, & ſervitiis, & votis, tuas ad laudes, tuámque ad gloriam, conferre poſſit. Qua in devotione, CELSISSIME PRINCEPS, animóque Tibi in totum ad-

Digitized by Google

addicto, ferventissimisque pro Tua incolumitate, felicitate, & gloria, conceptis precibus, à nemine anteiri velim. Datum GENEVÆ, Kal. Febr. An. Ær. Christ. Vulg. MDCCXXXIV.



Digitized by Google

PRÆFATIO.

DUo sunt, de quibus Lectorem in limine monendum censeo: Primum, quibus rationibus, ad hoc exarandum Compendium, deinde & in lucem mittendum, inductus sim: Alterum, quas mihi regulas, sive cautiones, hac in scriptione proposuerim.

Ex quo institutum in hac nostra Academia, annô MDCXCVII. *mihique publicâ auctoritate demandatum est* HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ *do-*

Digitized by Google

docendæ munus, nihil antiquius habui, quàm ut ſanis atque utilibus, quantùm quidem in me fuit, rerum in Eccleſia geſtarum notionibus, Auditorum animos imbuerem. Et ſtatim quidem prolixam ſatis, rerum præ cæteris memoria dignarum, narrationem inſtituebam. Neque intactas relinquebam quæſtiones, obſervationes, elucidationes, quæ aliquid in ſe momenti ac utilitatis habere viderentur.

Poſtmodùm verò, cùm ſtatuiſſet Venerandus PASTORUM & PROFESSORUM *Cœtus,*

Digitized by Google

Cœtus, ut ad Sacrum Ministerium adſpirantes, inter alia tentamina, ſuorum etiam hac in parte progreſſuum rationem redderent, eorum commodis inſerviturus, ea quæ fuſiùs per plures annos tractaveram, in compendium redegi; ejúſque Compendii exſcribendi, atque in uſum ſuum convertendi, Studioſis noſtris poteſtatem feci; cùm de eo interim in lucem mittendo ne minimùm quidem cogitarem.

Verùm enimverò, cùm exſcribendi labor, & moleſtiam, & temporis diſpendium, tyronibus noſtris crearet, cùm etiam

Digitized by Google

etiam menda innumera, ex-scriptorum inscitiâ & oscitantiâ, in Codices illos manu exaratos irreperent, in iis præsertim quæ ad nomina propria & temporum notas pertinebant, quinimò & periculum esset, ne aliquod é mendosis illis exemplaribus in Typographorum parùm cautorum manus incideret, qui illud, mendosum licèt atque horridum, prelo committerent (quod & ipse, non ita pridem, alio in opusculo expertus sum) rationibus illis omnibus, nec nōn & Amicorum adhortationibus motus, cœpi apud me reputare,

Digitized by Google

tare, annon ſatius foret, hanc qualemcunque opellam, exigui quantumvis pretii, nitidam ſaltem & emaculatam, meâ ipſius curâ prodire, quàm ſi mendis inquinata ac deformata, me inſciô atque invitô, lucem acciperet. Quæ tamen omnia, utut valida, haud ſcio an meam victura reluctantiam fuiſſent, niſi & aliud incitamentum potentius longè acceſſiſſet, putà invitatio atque adhortatio Amplisſimorum Reipublicæ noſtræ SCHOLARCHARUM, *Magnifici Academiæ noſtræ* RECTORIS, *& Celeberrimorum*

Digitized by Google

PROFESSORUM, *Collegarum suavissimorum: Quorum votum vim Legis apud me obtinuit, eritque excusationis loco, si quis meam carpserit in hoc edendo Opusculo temeritatem.*

Dixi de caussis quæ me ad conscribendum atque evulgandum hocce Compendium impulerunt. Dicendum jam de regulis, sive cautionibus, quas in hoc opere sequendas duxi.

Princeps mihi cura Veritatis fuit; ne quid falsi proferrem; imò ne quid dubii atque obscuri pro certo & explo-

Digitized by Google

plorato adfirmarem. Quæ quidem cura, res Ecclesiæ tractantibus, eò major esse debet, quòd non aliud Antiquitatum genus tot fabulis, tot commentis, tot Scriptis supposititiis, tot fictis miraculis, tot piis fraudibus, *quas vocant, cùm* impiæ *potiùs dicendæ essent, inquinetur ac violetur.*

Altera fuit cura de rerum momento ac utilitate; cujus, in his præsertim propositæ brevitatis angustiis, rationem cummaximè habendam duxi. Qua in re plurimi etiam peccant Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, qui nescio quot va-

nis, frigidis, nullius frugis narratiunculis chartas suas infarciunt; quæ quidem (ut in pari argumento Seneca) dediscenda erant, si scires. *Nihil eorum in hocce Compendio. Hic habentur primordia Christianismi, ejusdem propagatio, motæ in eum persecutiones, varius per varias ætates Christianæ rei status, varii mores, consuetudines, instituta, præcipuæ Controversiæ unoquoque Sæculo agitatæ, errorum, superstitionum, ac tyrannidis Pontificiæ natales atque progressus, denique Christianismi instauratio*

ratio per beatam Reformationem. Et hæc quidem omnia, quàm sincerè & quàm adcuratè fieri potuit, describuntur, missis partium studiis atque adfectibus, quorum caussas procul habeo, sed apertè tamen & candidè, non dissimulatis eorum culpis, à quibus scissus in partes Christianus Orbis, persæpe ob res levissimas, vel obscurissimas, & Christianæ Religionis sinceritas adulterata est.

Porrò, non nuda protuli Facta, sed interserui hîc atque illic, pro re nata, observationes, censuras, judi-

Digitized by Google

cia; quibus vera à falsis, certa à dubiis, genuina à supposititiis, æqua ab iniquis, utilia à noxiis, momentosa à vilibus, secernantur ac discriminentur. Quippe statuo, mecúmque statuent, ut arbitror, cordati omnes, exiguum admodùm horum studiorum pretium fore, si nonnisi indices Imperatorum, Regum, Episcoporum, Doctorum, Hæresium, Conciliorum, aliorúmque idgenus, memoriæ infigantur, & psittacorum in morem, datâ occasione, recitentur: quem ad usum, vel miserrimum compendium, imò vel

vel solus index primæ cujusque farraginis, abundè sufficeret. At plus longè requiritur, si quis in evolvendis atque enarrandis Ecclesiæ Antiquitatibus cum fructu & sapientia versari velit. Opus est, non nomina tantùm, sed & ingenia atque mores Hominum nôsse. Opus est, non Facta modò, sed & Factorum caussas, indagare. Tenendi eventus; sed & de eventibus, secundùm regulas æquitatis & prudentiæ judicandum est. Observandum, doctrina optima & saluberrima quàm miserè abusi sint Christiani, quan-

tùm valuerint partium ſtudia, quantas tragœdias excitaverint hominum adfectus, quantùm mali pepererint Theologorum odia, æmulationes, diſcordiæ, ſuperbia, pertinacia, altercandi & dominandi libido; Ea, inquam, aliáque idgenus, in Hiſtoria Eccleſiaſtica obſervari magni momenti eſt, eo fine nempe, ut, ex præteritis, de præſentibus & futuris judicium fiat, & narrationes, aridæ aliàs & exigui fructûs, in documenta convertantur. Quarum rerum exempla non pauca, ſi non fuſè enarrata, certè digito

Digitized by Google

gito monstrata, in hocce Compendio passim occurrunt.

Quod ad methodum ac dispositionem, fateor eam mihi neutiquam probari Virorum cæteroquin doctissimorum & diligentissimorum methodum, quâ singulorum Sæculorum res varias in classes distribuuntur, Hæresium, *v. g.* Conciliorum, Doctorum Ecclesiæ, *&c. Quæ methodus facit ut res eædem sub variis classibus reponantur, eæque contrà sejungantur, quas uno tenore narrari oporteret. Nam Arianismus, exempli caussâ, suum habet locum inter* Hæreses,

reſes, *ſuum inter* Concilia, *ſuum inter* Doctores Eccleſiæ, *&c.; adeóque, in variis illis claſſibus, de eo agendum eſt. Quæ repetitio non poteſt non tædio eſſe, & memoriam onerare potiùs quàm juvare. Quamobrem ſatius viſum eſt, rerum præcipuarum unoquoque Sæculo geſtarum quoddam veluti ſyſtema conficere, eáſque lenibus tranſitionibus inter ſe connectere, & continuo ſermone perſequi. Prior methodus coacervandis & congerendis in privatos uſus materiis adhiberi utcunque poteſt, eámque* prop-

Digitized by Google

propterea Centuriatores Magdeburgenses, aliique Viri Docti, secuti sunt. Sed altera gratior multò est, magis historica, magis ad docendum idonea, & nitidiores temporum ac eventuum notiones tradit.

Duas in partes dividitur hocce Compendium, quarum prior de quindecim primis Seculis agit, posterior de Sæculis XVI. & XVII. In priori parte, brevior multò rerum narratio est: In posteriore, prolixiùs res tractantur; beatæ præsertim Reformationis historia, cujus per va-

Digitized by Google

varias Europæ partes institutionem distinctè hîc exponendam duximus; quemadmodum & cæteras duorum novissimorum Sæculorum res, eas saltem quæ notatu digniores videbantur; quæ propterea, commodioris distinctionis ergò, plures in Sectiones distributæ sunt.

In gratiam Studiosorum, imò verò & Lectorum omnium, Summa Capita, *tum in fronte cujusque Sæculi, & cujusque Sectionis, tum ad marginem adjecta sunt: Quod quanti sit usûs, ad res memoriæ*

Digitized by Google

moriæ infigendas, easdémque uno velut obtutu relegendas, quicunque tentare voluerint, facilè experientur.

Styli perspicuitati, simúlque brevitati, ita studui, ut, si non in aliis, in hoc certè sperare liceat, me Lectori aliqua ex parte satisfacturum.

Cæterùm, ut nulla hîc refero sine idoneis testimoniis, quorum & non pauca in ipso hujus Epitomes contextu notantur, ita & reliquos testes ac testimonia adjicere atque adpellare facillimum pariter fuisset: Sed nimiam in molem

lem excrevisset Opus, quod sua se brevitate commendare debuit. Itaque hæc, & alia huc pertinentia, in aliud tempus rejicimus.



Digitized by Google

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ COMPENDIUM

à CHRISTO NATO *usque ad Annum* MDCC.

PARS PRIOR

de

Quindecim primis Sæculis.

Digitized by Google

Digitized by Google



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ COMPENDIUM, A CHRISTO NATO usque ad Annum MDCC.

Summa Capita SÆCULI I.

Historia CHRISTI. *Ecclesia Christiana ab Apostolis fundata. De Apostolorum itineribus & rebus gestis, multa incerta & fabulis permixta.*

A *Dissi-*

Dissidium de Cæremoniarum Mosaïcarum necessitate. Herodis M. mors. Divisio Regni inter ejus filios. Archelaus Viennam relegatus: Judæa in Provinciam Romanam versa. Antipas Lugdunum relegatus. Agrippas Major omnes Avi ditiones obtinet. Judæa iterùm Provincia facta, in quam missi Romani Præsides. Præsidum Romanorum vexationes Bello Judaïco ortum præbent. Bellum Judaïcum: Hierosolymorum & Templi eversio. Christiani Hierosolymitani Pellam se recipiunt. Prima Christianorum Persecutio sub NERONE. *Secunda sub* DOMITIANO. *Hæretici Sæculi primi. Res horum temporum parùm cognitæ.*

SÆCULUM PRIMUM.

Historia CHRISTI.

INcipit Ecclesiæ Christianæ Historia à JESU CHRISTI Domini nostri nativitate, vita, concionibus, miraculis, morte, resurrectione, & adscen-

adſcenſione in Cœlum; de quibus omnibus conſulendi ſunt *Evangeliorum* Scriptores. Sequitur Spiritûs Sancti effuſio ſuper Apoſtolos; Eccleſia ab iis fundata; Diaconorum inſtitutio; *Stephani* martyrium; *Pauli* ad Chriſtianam fidem converſio; viſum *Petro* cœlitùs oblatum de Gentium vocatione; *Chriſtianorum* nomen Antiochiæ primùm auditum; *Jacobus* Herodis juſſu gladio ſublatus; Eccleſiæ, non in Judæa modò, Galilæa, & Samaria, ſed & per totam paſſim Syriam, Græciam, ac Italiam, erectæ; *Pauli* labores atque itinera, uſquedùm Romam captivus adpelleret. Hæc certa, *Lucâ* narrante in *Actibus Apoſtolicis*, ipſiſque Apoſtolorum Epiſtolis confirmantibus. Cætera, quæ de ſingulorum Apoſtolorum itineribus, Eccleſiiſque per totum Orbem ab iis conſtitutis, memoriæ prodita ſunt; haud ſine examine admitti par eſt; adeò ſunt falſis ac incertis vera permixta. Cùm verò

Eccleſia Chriſtiana ab Apoſtolis fundata.

De Apoſtolorum itineribus multa incerta & fabulis permixta.

Digitized by Google

ex Judæis conversi nimium ritibus Mosaïcis pretium ponerent, eósque vellent conversis ex Gentibus tanquam necessarios imponi, Apostoli, tum Concilio Hierosolymis habito, de quo Act. xv. tum variis Epistolis, liberos esse ab illo jugo Christianos decreverunt. Verùm litem illam non multò pòst luculentô judiciô diremit Deus, captis Hierosolymis & solo æquatis, Templô incensô, Gentéque ac Politiâ Judæorum funditùs eversis: De qua clade antequàm dicamus, res Judaïcæ inde à Sæculi primordio repetendæ sunt. Mortuô *Herode* Magnô, sub cujus extrema natus est Christus, regnum ejus inter filios ab Augusto ita divisum est, ut *Archelao* Judæa, Samaria, atque Idumæa, cum *Ethnarchæ* adpellatione; Herodi *Antipæ* Galilæa & Peræa; *Philippo* Batanea, Trachonitis & Auranitis; utrique ex his sub *Tetrarchæ* nomine, adsignarentur. *Archelaus*, novem pòst annis, à Judæis accusatus, Vien-

Dissidium de Cæremoniarum Mosaïcarum necessitate.

Herodis M. mors.

Divisio Regni inter ejus filios.

Archelaus Viennam relegatus.

Digitized by Google

Viennam in Galliis ab Augusto relegatus est; Judæa verò in Provinciæ formam versa, & à Procuratoribus Cæsareis administrata. *Antipas* Herodes, à quo Johannes Baptista obtruncatus, & Christus ipse ante mortem ludibrio habitus, à Caïo Cæsare Lugdunum Galliæ relegatus est. *Agrippas* verò Major, (filius *Aristobuli*, qui alius fuit ex Herodis Magni filiis) qui & Herodes communi nomine Act. Apost. cap. XII. adpellatur, Tetrarchiis patruorum, Philippi & Antipæ, Rex datus est, mox & cæteris Avi sui ditionibus auctus. Idem Jacobum fratrem Domini occidit, nec multò pòst superbiæ & adfectatæ divinitatis pœnas dedit; Act. XII. 22. Tunc missi iterùm in Judæam Procuratores, quorum in numero *Felix* & *Festus*, apud quos, ut & *Aggrippam* juniorem, prioris filium, caussam dixit Paulus Apostolus, Act. XXIV. XXV. XXVI. Cùm verò multæ magnæque Præsidum illorum vexationes fuissent,

Judæa in Prov. Rom. versa.

Antipas Lugdunum relegatus.

Agrippas Maj. omnes Avi ditiones obtinet.

Judæa iterum Provincia facta, in quam missi Romani Præsides.

Præsidum Rom. vexationes

Bello Judaïco ortum præbent.

omnium maximæ *Gessii Flori* fuisse memorantur; quibus ad rebellandum impulsi Judæi, simúlque intestinis discerpti factionibus, ultimam sibi perniciem creârunt. Bello præfuerunt, à parte Romanorum, *Cestius Gallus*, Syriæ Præses, dein *Vespasianus* eò à Nerone missus, demùm Vespasiano imperante *Titus* filius; quô invitô Templum incensum est, quíque non semel adfirmâsse fertur, non se, sed ipsosmet Judæos suæ cladis auctores esse. Perierunt, intra semestris obsidionis spatium, cùm gladio, tum fame, undecies centena millia; capta verò ac vendita nonaginta septem millia: Quibus si adjungas eos omnes qui totô belli septenniô interierant, summa ad (1337490.) tredecies centena & triginta septem millia, cum quadringentis ac nonaginta, adsurget; omissis insuper aliis quamplurimis, qui, tum bestiis objecti, tum inediâ malísque omnis generis in exsilio exstincti sunt. Cœptum bellum annô

Bellum Judaïcum. Hierosolymorum & Templi eversio.

Digitized by Google

annô Christi LXVI. Urbs capta atque incensa annô LXX. Triennium verò ampliùs belli reliquiis profligandis absumptum est. Scripsit excidii illius Historiam, non sine miseratione legendam, Judæus ipse, quíque gestis interfuit, *Josephus*. Quemadmodum verò Dei justitia in plectendis Judæis, ita & ejus clementia in servandis Christianis Hierosolymitanis visa est, qui Oraculo moniti, antequàm Urbs obsideretur, *Pellam*, quod exiguum trans Jordanem oppidum fuit, se receperunt. Porrò, in nascentem Christi Ecclesiam *primus Cæsariano gladio ferociit* NERO; qui, incensâ Urbe, invidiam facti in Christianos conjecit, innoxiósque quæsitissimis pœnis adflixit: *Et pereuntibus*, verba sunt Taciti, *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*. Neque Romæ solùm, sed & in remotis

Christiani Hierosolymitani Pellam se recipiunt.

Prima Persecutio sub NERONE.

Digitized by Google

Imperii partibus, Persecutionem illam viguisse, docet Inscriptio in Lusitaniæ pago reperta, quæ sic habet: NERONI. CLAUDIO. CAES. AUG. PONT. MAXIMO. OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET. HIS. QUI. NOVAM. GENERI. HUM. SUPERSTITION. INCULCAB. PURGATAM. Nerone imperante, *Petrus* & *Paulus* Romæ martyrium passi dicuntur; Paulo quidem desecta cervix; Petrus in crucem, sed inverso capite, sublatus. Alteram Persecutionem, sub extrema Sæculi, excitavit DOMITIANUS, *portio Neronis de crudelitate* Tertulliano dictus. In ea, *Johannes* in oleum ignitum conjectus, cùm illæsus inde exiisset, in Insulam Patmon relegatus fertur, ubi visam Apocalypsim in literas retulit. Tunc & *Flavius Clemens* Consul, ejúsque, sive uxor, sive neptis, *Flavia Domitilla*, Domitiani ipsius cognati, unà cum aliis multis, vel relegati, vel cæsi dicuntur. Cùm verò Imperator Da-

Secunda Persecutio sub DOMITIANO.

vidis

Digitized by Google

vidis posteros omnes interfici jussisset, nepotes *Judæ* illius, qui frater Christi vocabatur, ad eum perductos narrant; quorum vilitatem aspernatus, liberos abire jussit, imò & à Christianis persequendis destitit. Revocati igitur exules, intérque alios *Johannes* Apostolus, qui Ephesum rediisse, vitámque ultra Sæculum perduxisse memoratur. Ævô Apostolicô, qui à recta fide aberrarent multi jam fuêre: quales illi *Judaïzantes*, qui Evangelio Legem copulabant; quales & illi, à quibus mortuorum Resurrectio negabatur; Multi quoque, qui Gratiam Evangelicam in peccandi licentiam vertebant, quos inter numerant *Simonem Magum*, ejúsque discipulum *Menandrum*, Gnosticorum principes ab Antiquis existimatos; Item *Nicolaïtæ*, quorum mentio in Apocalypsi; *Ebion* denique & *Cerinthus*, qui, inter alios errores, Jesum à Christo sejungebant, Jesúmque more reliquorum hominum genitum fabula-

Hæretici Sæculi primi.

Res horum temporum parùm cognitæ.

bantur. Cæterùm, id verissimum est quod agnoscit *Petavius* in *Rationario*, »res Christianas horum temporum haud magna in luce versari, Scriptorum magis inopiâ, quàm »quia mandari quod posset literis »exstaret nihil; cùm neque parva, »neque scitu indigna, credibile sit »Apostolos ac Christi discipulos toto Orbe gessisse.» At verò, cùm genuina deficerent monumenta, Scriptis suppositititiis, fabulisque sine fine, locus datus est.

Summa Capita
SÆCULI II.

Christianismi propagatio. Tertia Persecutio sub TRAIANO. *Plinii Epistola de Christianis. Quarta Persecutio sub* HADRIANO. *Judæorum clades sub Trajano & Hadriano. Quinta Persecutio sub* MARCO AURELIO. *De Legione Fulmina-*

minatrice. Sub COMMODO *& sequentibus Imperatoribus, pax fuit Ecclesiæ. Hæretici Sæculi secundi. Dissidium de die Paschatis, inter Orientales & Occidentales. Scriptores Ecclesiastici Sæculi secundi. Doctrina, Cultus, Regimen Ecclesiasticum Sæculi secundi. Pietas in praxi posita.*

SÆCULUM II.

Christianismi propagatio.

RES Christiana, Sæculô secundô, longè latéque disseminata est, *persecutionibus crescens, martyriis coronata*, ut loquitur *Hieronymus*. Tertia Persecutio exstitit sub optimo aliàs & laudatissimo Principe TRAIANO; non ipsîus quidem Principis edictô, sed popularibus per varias Urbes & Provincias motibus. In ea, *Simeon* Cleopæ filius, Hierosolymitanus Antistes, annos natus 120. post plurium tormenta dierum cruci affixus; *Ignatius* Antiochenus, Romam abductus, & bestiis

Tertia Persecutio sub TRAIANO.

beſtiis objectus; Etiam *Clemens* Romanus, ut quidam tradunt, in Tauricam Cherſoneſum miſſus, ibíque, ſuſpensâ ad collum anchorâ, mari ſubmerſus. In Bithynia, cùm, præ ingenti Chriſtianorum multitudine, animi dubius penderet Proconſul *Plinius*, ab Imperatore petiit, quid facto opus eſſet; ſimulque luculentum Chriſtianorum innocentiæ teſtimonium perhibuit; Epiſt. Lib. X. Epiſt. 97. Reſcripſit Trajanus, non conquirendos Chriſtianos, ſed, ſi deferantur, puniendos eſſe. Exarſit nova ſub HADRIANO Trajani ſucceſſore Perſecutio, quæ, à quibuſdam omiſſa, ab aliis quarta numeratur: Quâ occaſione, *Quadratus* Athenienſis Epiſcopus, & *Ariſtides* ejuſdem Urbis Philoſophus, Apologias pro Chriſtiana Fide Hadriano obtulêre, quæ temporis injuriâ interciderunt. Quin & narrant, *Serenium Granianum*, Aſiæ Præſidem, ſcriptis literis Hadrianum monuiſſe, iniquum videri, Chriſtianos, nullô ob-

Plinii Epiſtola de Chriſtianis.

Quarta Perſecutio ſub HADRIANO.

objectô crimine, ad tumultuosos vulgi clamores, & indictâ caussâ, occidere; Quibus motum Hadrianum, *Minutio Fundano* Serenii successori, ne quis sine objectu criminis, & legitima accusatione condemnaretur, rescripsisse. Tumultuantes Judæos, Trajanus primùm, deinde & Hadrianus, repressêre. Cæsa eorum ingens multitudo: Urbsque in Hierosolymæ locum exstructa *Ælia Capitolina* dicta est, in quam intrare capitale Judæis fuit. Ducem seditionis, qui se *Barchochebam*, hoc est *filium Stellæ*, dixerat, post acceptam cladem *Barchozbam*, hoc est, *filium mendacii*, dixêre. Sub ANTONINIS, dum Christiani vexarentur, binâ Apologiâ eos defendit *Justinus Martyr*; quibus calumniæ in ipsos conjectæ diluuntur, eorúmque Sacra describuntur. ANTONINUS PIUS, de Christianorum innocentia certior factus, ad varias Civitates in eorum gratiam scripsit, prout ex *Melitone* refert Eusebius. Verùm

Judæorum clades sub Trajano & Hadriano.

sub

Quinta Persecutio sub M. AURELIO.

sub MARCO AURELIO Philosopho, non semel, nec uno in loco, Christiani gravissimè vexati sunt; quæ Persecutio aliis quarta, vel juxta alios quinta numeratur. In ea, Martyres non pauci; quorum præcipui *Justinus* Martyr, *Polycarpus* Smyrnensis Episcopus, *Photinus* Lugdunensis, unàque cum eo cæteri *Lugdunenses* & *Viennenses*, de quorum tormentis atque constantia, ex ipsis Ecclesiarum illarum literis fusè agit Eusebius Lib. V. cap. 1. Eâ vigente Persecutione, *Theophilus* Antiochenus, *Melito* Sardensis, *Apollinaris* Hierapolitanus, *Tatianus*, *Athenagoras*, Scripta Apologetica, quorum nonnulla etiamnum exstant, pro Christiana fide scripsêre. Quod

De Legione Fulminatrice.

verò narrant de *Legione Fulminatrice*, pluviam exercitui, ipsámque adeò victoriam, precibus suis impetrante, literísque Marci Aurelii miraculi illius testibus, quibus & pœnam comminatus sit accusatoribus Christianorum, id omne fabulæ quàm vero

Digitized by Google

ro propius videtur. COMMODO imperante, tranquilliore fuerunt in statu res Christianæ; unde multi, genere opibúsque eminentes, ad Ecclesiam passim accurrebant, quemadmodum refert Eusebius Lib. V. cap. 21. Neque etiam sub PERTINACE, DID. JULIANO, PESC. NIGRO, CLOD. ALBINO, primisque SEPTIMII SEVERI annis, satis otii mediis in bellis civilibus fuit, ut de persequendis Christianis cogitaretur. Hæreticorum varii generis, & multorum quidem mirâ vesaniâ ac turpitudine insignium, ingens colluvies hôc Sæculô exstitit; *Saturninus*, *Basilides*, *Carpocras*, *Valentinus*; qui omnes, eorúmque discipuli, sub generali *Gnosticorum* nomine veniunt; *Cerdon* & *Marcion*, duorum Principiorum assertores; *Tatianus*, à quo *Encratitæ* sive Abstinentes; *Montanus*, à quo *Montanistæ*, qui & *Cataphryges*; *Hermogenes*, materiæ æternæ assertor; *Praxeas* & *Noëtus*, qui S. Triadis personas

Sub COMMODO, & sequent. Impp. pax fuit Ecclesiæ.

Hæretici Sæculi II.

ſonas non diſtinguebant, dicti propterea *Patripaſſiani*; *Theodotus* Byzantinus, arte coriarius, qui, ut & *Artemon*, Chriſtum merum hominem dicebat; *Ophitæ*, *Caïnitæ*, *Sethiani*, &c. Adversùs Hæreſes Libros V. ſcripſit *Irenæus*, Lugdunenſis Epiſcopus, qui inclinante hôc Sæculô floruit: Multas etiam confutavit *Tertullianus*, ipſe interim in Montani hæreſim prolapſus. Dum ad errores ineptiſſimos, imò & turpiſſima placita, plurium ex Hæreticis illis adtendimus, mirari ſubit, quomodo ſub Chriſtiano nomine, támque vicinis Apoſtolici ævi temporibus, tot oriri opinionum monſtra potuerint. Sed quid non poteſt humanum ingenium, à Verbi Dei ſimplicitate recedens, ſuíſque ſe permittens deliriis? Orta illa maximam partem (ſi quis conjecturis locus) ab Ethnicorum Mythologia & Philoſophia, Gabbaláque Judaïca, Evangelio perperam admixtis. His adde, proferendi nominis, diſcipulóſque alliciendi ſtu-

dium,

illum, prolatis novis atque inauditis, vel quæ carni adblandirentur. Quibus & hoc quoque adjungendum, de Hæreticorum veterum rebus, eorum adversariis tutò semper credi non posse. De die Paschatis dissidium fuit inter Ecclesias Orientales & Occidentales; Orientalibus eôdem quô Judæi die, hoc est, decimô quartô Lunæ primi mensis, (Judæis *Nisan*, qui Martio nostro maximam partem respondet) Occidentalibus die Dominicô proximè sequente, Paschatis solemnia agitantibus: Qua de re, inter *Polycarpum* Romam profectum circa annum C. 160. & *Anicetum* Romanum Episcopum, amica collatio habita est, non compositô quidem dissidiô, sed salvis tamen fraternitatis juribus. Verùm, sub finem Sæculi, hæc quæstio iterùm, & majori quidem quàm par erat æstu, agitata est; *Victore* Romano Episcopo, propter levem illum dissensum, Ecclesias Asiaticas à communione abscin-

Dissidium de die Paschatis, inter Orientales & Occidentales.

cindente; quod ejus factum multi improbârunt, speciatim *Irenæus*, qui gravem hac de re Epistolam ad illum scripsit. Interim Asiatici, Victoris diras parùm curantes, priscum morem retinuerunt; perstititque dissidium illud usque ad Concilium Nicænum, quô *Quartodecimanorum*, seu Orientalium, praxis sublata est.

Scriptores Ecclesiastici Sæculi II.

Scriptores Ecclesiastici, quorum quidem opera ad nos pervenerint, nec multi numero, nec ampli mole, sed antiquitate tamen, & simplicitate ad Apostolicam accedente, venerandi; *Ignatius*, *Polycarpus*, *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, *Tatianus*, *Theophilus* Antiochenus, *Irenæus*; quibus & adjungi possunt *Clemens* Alexandrinus & *Tertullianus*, qui tum hôc Sæculô ad finem vergente, tum sequenti dudum floruerunt.

Doctrina, Cultus, Regimen Sæculi II.

Doctrinæ summa non alia fuit quàm quæ in Symbolo Apostolico dicto continetur; nisi quòd Doctorum illorum quidam, Græcæ Philosophiæ imbuti principiis, ejus nonnihil Christia-

no

no dogmati admiſcere cœperunt. Cultus eximiæ ſimplicitatis, quemadmodum ex *Juſtino* Martyre & *Tertulliano* conſtat; accedentibus tantummodò paucis quibuſdam innocuis ritibus. Ad Regimen quod attinet, erat Προεστὼς ſive *Epiſcopus*, qui unà cum reliquis *Presbyteris* ſingulas Eccleſias adminiſtrabat: *Diaconi*, tum pauperum curæ, tum Euchariſtiæ diſtribuendæ, atque ad abſentes perferendæ, præficiebantur. Cæterùm id eximium ex Apoſtolica diſciplina hæc ætas retinuit, neque ſatis unquam commendandum atque imitandum, quòd, *non in dictis, ſed in factis*, pietatis ſummam collocarent, quemadmodum *Juſtinus Martyr* teſtatur.

Pietas in praxi poſita.

Summa Capita SÆCULI III.

Sexta Perſecutio ſub SEVERO. *Tertulliani Apologeticum.* ALEXANDER *Imp. Chriſtianis favet. Septi-*

Digitized by Google

ma Persecutio sub MAXIMINO. PHILIPPUS *Imp. temerè Christianus creditus. Octava Persecutio sub* DECIO. *Vitæ Monasticæ occasio & initium. Varii Lapsorum ordines. Schisma Felicissimi Carthagine. Schisma Novatiani Romæ. Controversia de Baptismo Hæreticorum. Stephanus Rom. Episc. Africanos excommunicat. Increpatur ab Africanis, qui æqualitatem Episcoporum tuentur. Nona Persecutio sub* VALERIANO. GALLIENUS *Sacrorum libertatem Christianis concedit. Novam Persecutionem paravit, sed non perfecit* AURELIANUS. *Hæresis Sabellii. Hæresis Pauli Samosateni. Hæresis Manichæorum. Chiliastæ, seu Millenarii. Origenis Tetrapla, Hexapla, Octapla. Ejusdem errores. Scriptores Ecclesiastici Sæculi III. Ubinam præcipuè describatur Doctrina, Cultus, & Regimen Sæculi III.*

SÆ-

Digitized by Google

SÆCULUM III.

SEVERUS, annô Imperii decimô, hujus Sæculi secundô, mutatâ in Christianos voluntate, gravem in eos persecutionem movit, quæ aliis quidem quinta, aliis quos sequimur sexta numeratur. Exarsit illa in Palæstina, Ægypto, Africa reliqua, Italia, Gallia, aliisque locis. In ea *Leonides* Origenis pater, *Irenæus* Lugdunensis Episcopus, aliique magnô numerô martyrium fecêre. Quâ occasione *Tertullianus*, scriptô Apologeticô, caussam Christianam tutatus est; pulsisque, quibus Christiani onerabantur, calumniis, eorum Sacra egregiè descripsit, præsertim Apologet. cap. 39. Sub sequentibus Imperatoribus, pacatus satis Ecclesiæ status fuit; præsertim sub ALEXANDRO Mammææ, quem Christianis favisse, eósque in pretio habuisse, ferunt. At postea MAXIMINUS Thrax novam

Sexta Persecutio sub SEVERO.

Tertulliani Apologeticum.

ALEXANDER Imp. Christianis favet.

Digitized by Google

Septima Persecutio sub MAXIMINO.

Persecutionem instituit, septimam numero; quæ tamen, nec generalis fuit, nec alios quàm Ecclesiæ Antistites adorta est; quos inter, *Pontianus* & *Anterus*, Romani Episcopi, cæsi perhibentur. PHILIPPUS, non modò Christianis non nocuit, sed & vulgò, quanquam temerè, Christianus fuisse creditur. Verùm DECIUS, Philippi successor, novæ Persecutionis, iis quæ antecesserant longè gravioris, auctor fuit; quâ, & *Fabianus* Romanus Episcopus, & *Babylas* Antiochenus, & alii Martyres notantur. Quâ tempestate, pii quidam, interque alios *Paulus*, Eremitarum signifer, vitandæ necis ergò, in deserta loca secessêre, vitæque Monasticæ initium dedêre. Cùm verò in hac Decii persecutione multi lapsi essent, quorum alii Idolis sacrificaverant, dicti *Sacrificati*; alii thus aris admoverant, dicti *Thurificati*; alii redemptis libellis se sacrificâsse mentiti fuerant, dicti propterea *Libellatici*; hinc, sedatâ Per-

PHILIPPUS Imp. temerè Christianus creditus.

Octava Persecutio sub DECIO.

Vitæ Monasticæ occasio & initium.

Varii Lapsorum ordines.

Digitized by Google

Perſecutione, diſquiri cœpit, quomodo cum illis ad Eccleſiam redeuntibus agendum eſſet. Qua quidem in re, à nonnullis in duo peccatum eſt extrema: Nam, Carthagine, *Feliciſſimus*, cui *Novatus* ſe adjunxit, Lapſos omnes abſque ulla mora recipiendos dixit: Contrà, Romæ, *Novatianus*, ad quem & poſtea *Novatus* mutatis partibus acceſſit, Lapſos nunquam recipi voluit: Catholicis interim Epiſcopis, Carthagine quidem *Cypriano*, Romæ vero *Cornelio*, medium inter iſta tenentibus. Sed Feliciſſimi Schiſma breve fuit; Novatianum diutiùs perſtitit, multáſque in Eccleſia turbas excitavit. Ut verò lis ex lite ſeritur, hinc nova Controverſia in Africa exorta eſt; de Baptiſmo à Novatianis aliíſve Hæreticis vel Schiſmaticis adminiſtrato; quem invalidum eſſe, *Cyprianus*, cæteríque Africani cenſuêre; contrà, validum, neque iterandum, *Stephanus* Romanus Epiſcopus; qui & eò uſque pro- cessit;

Schiſma Feliciſſimi Carthagine.

Schiſma Novatiani Romæ.

Controverſia de Baptiſmo hæreticorum.

Stephanus Rom. Epiſc. Afri-

Digitized by Google

canos excommunicat.

cessit, ut Africanos hac de caussa communione privaret; graviter ipse, & meritò quidem, à *Cypriano* & *Firmiliano* propterea objurgatus: *Neque enim quisquam nostrûm*, aïunt Africani, Epistolâ ad eum scriptâ, *Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.* Cypr. Epist. 74. Dum verò hæc agerentur, nova oritur Persecutio, sub VALERIANO Imp., quæ per tres annos & dimidium perduravit; quâ quidem, Ecclesiæ Ministri, deinde & Christiani cujusvis ordinis, viri & mulieres, juvenes & senes, puellæ & anus, milites & pagani, vel exsilio mulctati, vel flagris cæsi, vel ad metalla damnati, multi etiam ferro aut igne sublati sunt; quos inter, *Cyprianus*, primò in exsilium missus, deinde revocatus Carthagine decollatus est. Persecutionem hanc describit, apud Eusebium Lib. VII. cap. 10. *Dionysius Alexandrinus*, qui & ipse exsilio, bonorúmque amissione,

Increpatur ab Africanis, qui æqualitatem Episcoporum tuentur.

Nona Persecutio sub VALERIANO.

ſione, in ea ſe mulctatum narrat. Acta hæc, dum *Valerianus*, ejúſque filius *Gallienus*, unà imperarent. At, Valerianô à Perſis captô, GALLIENUS rerum potitus, æquior in Chriſtianos fuit; datôque eorum Antiſtitibus Reſcriptô, quod apud Euſebium exſtat, Sacrorum libertatem iis conceſſit. Poſtmodùm AURELIANUS de perſequendis Chriſtianis cogitavit, unde & nova Perſecutio à nonnullis ſub eo ſtatuitur: At ei, quæ cogitaverat, perficere non licuit; éſtque, referente Lactantiô, *inter initia ſui furoris protinùs exſtinctus.* Mediô hoc Sæculô, prodiit *Sabellius*, Ptolemaïde in Libya oriundus, qui Noëti & Praxeæ renovâſſe hæreſim dicitur, perſonáſque S. Trinitatis tria tantùm nomina dixiſſe. Non multò pòſt, contra *Paulum Samoſatenum*, Antiochenum Epiſcopum, qui Chriſtum merum hominem fuiſſe docebat, (quæ *Theodoti* coriarii, *Artemonis*, *Berylli* Boſtrenſis, aliorúmque,

GALLIENUS Sacrorum libertatem Chriſtianis concedit.

Novam perſecutionem paravit, ſed non perfecit AURELIANUS.

Hæreſis Sabellii.

Hæreſis Pauli Samoſateni.

 que,

que, hæresis antea fuerat) habitæ sunt Antiochiæ Synodi duæ, quarum secundâ *Paulus* damnatus est, ejúsque in locum *Domnus* substitutus. Orta etiam hôc Sæculô est hæresis *Manichæorum*, auctore *Mane* seu *Manete* quodam, natione Persâ, conditione servô, qui, antiquis recoctis erroribus, dogma de duobus Principiis, altero bono, altero malo, fatalem necessitatem, aliáque somnia, in medium produxit; eorúmque disseminandorum Electis duodecim, ad exemplum duodecim Christi Apostolorum, curam commisit. Notantur & hâc ætate *Chiliastæ* seu *Millenarii*, qui Regnum Christi in terris per mille annos duraturum, corporeïsque transigendum voluptatibus, somniabant; quibus jam præluserat Sæc. II. *Papias* Hierapolitanus Episcopus; & quorum caput hoc Sæculo fuit *Nepos* quidam, Ægyptius Episcopus, à *Dionysio Alexandrino* confutatus. *Origenes*, cæterùm doctissimus, déque

Heresis Manichæorum.

Chiliastæ seu Millenarii.

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia optimè meritus, (teste vel praeclarô illô *Tetraplorum*, *Hexaplorum* & *Octaplorum* opere, quô antiquas Versiones Graecas, unà cum Hebraïco Textu, variis columnis digesserat;) in variis tamen cespitavit, seu dum omnia in Allegorias converteret, seu dum animorum praeexistentiam doceret, aliisque capitibus. Floruêre hôc Saeculô, praeter *Origenem*, ejus praeceptor *Clemens* Alexandrinus, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Minutius Felix*, *Arnobius*, &c. omnes in Ethnica litteratura plurimùm exercitati; unde non mirum, si aliquando paulò subtiliùs de rebus Christianis, quàm par est, philosophentur. Quaenam fuerit hac aetate Doctrinae summa, *Tertullianus* non unô locô, *Novatianus* Lib. de Trinitate; quis fuerit Cultus, *Tertullianus* in Apologetico; quaenam denique Ecclesiae forma, ac Disciplinae ratio, *Tertullianus* etiam & *Cyprianus* prae caeteris docent.

Origenis Tetrapla, Hexapla, Octapla.

Ejusdem errores.

Scriptores Ecclesiastici Sec. III.

Ubinam praecipuè describatur Doctrina, Cultus, & Regimen Saec. III.

Sum-

Digitized by Google

Summa Capita SÆCULI IV.

Decima Persecutio sub DIOCLETIANO *& sociis. Auctor Persecutionis* GALERIUS MAXIMIANUS *Cæsar. Martyrum cruciatus. In Galliis*, CONSTANTIUS CHLORUS *Templa tantùm diruit. Martyria à Christianis quæsita: Notabilis hac de re* Sulpitii Severi *locus. Quinam dicti* Traditores. CONSTANTINUS *Magnus Christianam fidem amplectitur. Schisma Donatistarum. Hæresis Ariana. Epistola Constantini Imp. ad Alexandrum & Arium. Concilium Nicænum, Oecum. I. annô 325.* CONSTANTIUS *Imp. Arianus. Arianorum variæ classes & nomina. Liberius Rom. Episc. Arianæ formulæ subscribit. Hæresis Photini. Error Apollinaris.* JULIANUS *Imp. Ethnicismum restituere nititur.* VALENS *Imp. Arianus. Concilium*

Cons-

Digitized by Google

Constantinopolitanum, Oecum. II. an. 381. Priscillianistæ. Scriptores Ecclesiastici Sæculi IV. Status Religionis, partim felicior, partim deterior. Imagines in Templa illatæ. Origo invocationis Sanctorum. Lex Cœlibatûs à Siricio Papa instituta. Opes & dignitates Ecclesiasticæ.

SÆCULUM IV.

DEcima Persecutio, & ea quidem longè gravissima, sub DIOCLETIANO ejúsque sociis, annô hujus Sæculi tertiô cœpit, ipsô *Terminalium* die, seu 23. Februarii, *ut quasi terminus imponeretur huic Religioni*, inquit *Lactantius*, vel quisquis alius est auctor libri non ita pridem emissi, de *Mortibus Persecutorum*, cap. 12. Auctor præcipuus fuit GALERIUS MAXIMIANUS, unus ex Cæsaribus, qui Diocletianum reluctantem eò impulit. Initium factum Nicomediæ, ubi Ecclesia diruta, & Scip-

Decima Persecutio sub DIOCLETIANO & sociis.

Auctor Persecutionis GALERIUS MAXIMIANUS Cæsar.

surae

turæ igni traditæ. Mox Christiani, promulgatô Edictô, omni honore spoliati, tormentísque subjecti. Quibus nondum contentus Galerius, horrendam calumniam in Christianos parat; Palatio subjicit incendium, & Christianos auctores traducit; qui miserè excarnificati, &, sine ulla probatione, ad supplicium rapti sunt. Quod verò cœptum Nicomediæ, mox in Palæstina quoque, Italia, Africa, totóque Imperio, solis exceptis Galliis, factitatum est. Nullis non suppliciis, nullo non sævitiæ genere, vexati Christiani: comburebantur in fornacibus; conjiciebantur in oleum fervens; objiciebantur bestiis; suibus etiam, siliquis involuti, apponebantur; mutilabantur oculis & lingua, assabantur lento igne, & aceto saléque adspergebantur, præcipites dabantur de petris; lacerabantur constrictis, mox dissolutis arboribus; &c. Quæ omnia ab *Eusebio*, totô Librô VIII. & *Lactantio*, dictô opere, nuper vulgatô,

Martyrum cruciatus.

Digitized by Google

gatô, fusè recitantur. In Galliis, CONSTANTIUS CHLORUS, *parietes* quidem, (hoc est, Templa) *qui restitui poterant, dirui passus est; verum autem Dei Templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Lactant. ibid. Quô verò animô persecutionem hanc tulerint Christiani, quámque parùm Christianæ rei incrementis nocuerit, sic eleganter describit *Sulpitius Severus*, Hist. Lib. II. cap. 46. DIOCLETIANO & MAXIMIANO *imperantibus, acerbissima Persecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est. Quâ tempestate, omnis ferè sacro Martyrum cruore Orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multóque avidiùs tum Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus.* Interim fuerunt etiam, illis

In Galliis CONSTANTIUS CHLORUS Templa tantùm diruit.

Martyria à Christianis quæsita.

illis in agonibus, qui Christianam caussam proderent; quos inter, qui Libros Sacros Ethnicis cremandos tradebant, *Traditores* appellati sunt. Fuit hic gravis, sed & postremus, Ethnicismi ad interitum vergentis conatus: Brevi quippe, annô nempe hujus Sæculi XII. felicissima rerum conversio visa est, CONSTANTINO Imp. Fidem amplectente, eique, non securitatem modò, sed & splendorem conciliante: qui tamen splendor, non uno nomine, Ecclesiæ fatalis fuit, multis ex Ethnicismo & Sæculi pompa malis pullulantibus, quibus Christianæ rei sinceritas adulterata est. Circa hæc tempora, grave in Africa Schisma exortum est, *Donatistarum* nempe, qui à *Cæciliano* Carthaginensi Episcopo factâ secessione, eò quòd ille, ut ipsi dicebant, à Traditoribus ordinatus esset, maximas, cùm hoc, tum sequenti Sæculo, in Ecclesia turbas excitârunt. Inter factionis principes, fuit *Donatus à Casis nigris*, nec non & alter

Quinam dicti *Traditores*.

CONSTANTINUS M. Christianam fidem amplectitur.

Schisma Donatistarum.

alter *Donatus*, à quorum altero, fortè & utroque, ipsi factioni inditum nomen. Non multò pòst, Alexandriæ in Ægypto, *Ariana* hæresis erupit, auctore *Ario*, Ecclesiæ illius Presbytero, qui Filium Dei rem creatam dicebat, ἐξ οὐκ ὄντων ex nihilo productum, adeóque fuisse tempus quando non erat: Adversus quem *Alexander*, Alexandrinus Episcopus, éjúsque successor *Athanasius*, Filium Dei ὁμοούσιον, συναΐδιον, ὁμότιμον τῷ πατρὶ, *ejusdem naturæ, ejusdem æternitatis, ejusdem dignitatis cum Patre*, participem asseruêre. Et statim quidem Constantinus illud componere dissidium tentavit, missô ad hoc Hosiô Cordubensi Episcopo, datísque ad Alexandrum & Arium literis, quibus ad concordiam illos hortabatur. Cùm verò nihil profecisset, Concilium ex toto Imperio Nicæam Bithyniæ Urbem convocavit, an. 325. cui adfuerunt Episcopi 318., quô Arianorum sententia damnata est, cusúmque Symbolum, quô Filius

Hæresis Ariana.

Epistola Constantini Imper. ad Alexandrum & Arium.

Concil. Nicæn. Oecumen. I. an. 325.

C Dei

Digitized by Google

Dei *genitus*, *non factus*, Patríque ὁμοούσιος, *consubstantialis*, affirmabatur. Verùm, neque hac definitione, neque illorum exsiliis, qui subscribere renuerunt, finis malo allatus est. Quippe Ariani, tum ultimis Constantini annis, tum in primis sub CONSTANTIO, Ariano ipso, vires resumpsêre, nec uno in Concilio prævaluêre. Hi in duas abiêre partes, aliis Filium Patri dissimilem, aliis similem statuentibus: Illi *Anomæi*, *Heterousii*, nec non, à suis primipilis, *Aëtiani* & *Eunomiani*; Isti *Homoiousiani*, & *Semi-Ariani*, nuncupati sunt. Porrò, favente Arianis Constantiô, Catholicósque divexante, *Liberius* Rom. Episc., postquàm ejus minis diu restitisset, imò & biennii exsilium tulisset, formulæ Arianæ tandem subscripsit. Eodem tempore *Photinus*, Sirmiensis in Pannonia Episcopus, non fuisse Filium Dei, antequàm ex Maria nasceretur, docuit; adeóque Samosateni hæresim recoxit. *Apollinaris* quoque, Laodice-

CONSTANTIUS Imp. Arianus.

Arianorum variæ classes & nomina.

Liberius Rom. Ep. Arianæ formulæ subscribit.

Hæresis Photini.

Error Apollinaris.

Digitized by Google

dicenus Episcopus, vir cæteroquin laudatissimus, & de Ecclesia optimè meritus, in eum tamen errorem incidit, ut Christo homini animam nullam fuisse, sed ipsam divinitatem vicem animæ obiisse, diceret. Dum sic inter se dissident Christiani, Ethnicismus sub JULIANO lacertos movet, novóque in periculo res Christianæ versantur. At, brevi dissipatâ hâc nubeculâ, sub JOVIANO, VALENTINIANO, &c., novus Ecclesiæ splendor accedit. VALENS Arianus, Sectæ illi rursùs vires addit, Orthodoxósque persequitur. Sed THEODOSIUS é contrario, rem Christianam, fidémque Catholicam, præsidio legibúsque ornat; ejúsque curâ, Concilium Constantinopolitanum, Oecumenicum II., annô 381. habetur, quô Nicæna fides confirmata, Arianísque & *Macedonianis* (isti Spiritûs S. divinitatem negabant) anathema dictum. Haud multò pòst, *Priscillianus*, Abulensis in Hispania Episcopus, revocatis Gnosti-

JULIANUS Imp. Ethnicismum restituere nititur.

VALENS, Imp. Arianus.

Concil. Constantin. Oecum. II. an. 381.

Priscillianistæ.

ticorum & Manichæorum fœdis erroribus, damnatus unà cum sequacibus, gladióque percussus est: Cujus supplicii cùm *Idacius* & *Ithacius* Episcopi instigatores fuissent, eorum factum *Martino* Turonensi Episcopo ita displicuit, ut in aversationis indicium, eorum se communioni subduxerit. Scriptores Ecclesiastici, & magni quidem nominis, hôc Sæculô multi exstitêre; in primis *Lactantius*, *Eusebius*, *Athanasius*, *Hilarius*, *Basilius*, *Gregorius* uterque, *Cyrillus* Hierosolymitanus, *Epiphanius*, *Ambrosius*; quibus etiam *Johannem* Chrysostomum, *Hieronymum*, & *Augustinum* adjungeremus, nisi res eorum præcipuæ ad Sæculum sequens pertinerent. Religionis status, si pompam spectes, felicior; si puritatem, deterior indies fuit; altercandi libidine, Ethnicarúmque æmulatione cæremoniarum, non parùm fœdatus. Illatæ in Templa Imagines; damnantibus interim viris piis Ethnicam praxim, ut ex Concilio *Eliberitano*, & *Epi-*

Scriptores Ecclesiastici Sæc. IV.

Status Religionis partim felicior, partim deterior.

Imagines in Templa illatæ.

Digitized by Google

Epiphanii facto, apparet. Novus indies Divis honos habitus; quæri cœptæ illorum Reliquiæ; eorúmque invocandorum, ex Oratoriis apostrophis, & Poëtica licentia, factum initium. Cœlibatûs legem, quam Nicæni Patres, suasore *Paphnutio*, rejecerant, *Siricius* Papa primus instituit. Denique opes ac dignitates Imperatorum munificentiâ in Ecclesiam collatæ, in superbiæ fœdique ambitûs irritamentum cessêre.

Origo Invocationis Sanctorum.

Lex Cœlibatûs à Siricio Papa instituta.

Opes & dignitates Ecclesiasticæ.

Summa Capita SÆCULI V.

ARCADIUS *Orientis*, HONORIUS *Occidentis*, *Imperatores*. *Donatistæ. Origenistæ. Persecutiones in* Johannem Chrysostomum. *Pelagianismus.* Pelagius *&* Celestius *in Africa damnantur, in Oriente patronos habent.* Zozimus *Rom. Episc. eos statim absolvit, deinde damnat.*

Digitized by Google

Edicta Imperatorum contra Pelagianos. Semipelagianismus. Cassianus *& Monachi Massilienses. Nestorianismus.* Nestorius *dicitur Christi personam dividere.* Cyrillus *Patriarcha Alexandrinus contra Nestorium insurgit. Concilia Romæ & in Ægypto contra Nestorium. XII. Cyrilli Anathematismi contra Nestorium. XII. Nestorii Anathematismi contra Cyrillum. Concilium Ephesinum, Oecumen. III. an.* 431. *contra Nestorium. Eutychianismus. Christi naturas confundit* Eutyches. *Damnatur Constantinopoli, an.* 448. *Restituitur Ephesi an.* 449. *Concilium Chalcedonense, Oecumen. IV. an.* 451. *contra Eutychem. Formula Fidei Chalcedonensis. Canon* 28. *Chalced. de æqualibus privilegiis Constantinopolitanæ Sedis cum Romana. Novi tumultus post Concilium Chalcedonense.* Timotheus Ælurus, Petrus Fullo, *Episcopi Eutychiani. Additio Trisagio facta à Petro Fullone. Henoticum* ZE-

NONIS

NONIS *an.* 482. *Eutychiani Henotico subscribentes Sedibus restituti. Dissidium inter Rom. Episc. & A-*cacium *Constantinopolitanum. Conversio Francorum, rege* Chlodoveo. *Conversio Burgundionum. Vandali Ariani Orthodoxos in Africa persequuntur. Scriptores Ecclesiastici Sæculi V.* Leo I. *Rom. Episc. Superstitionis augmentum.* Vigilantius *superstitiones arguit. B. Virginis cultus promotus. Crescens Episcopi Romani fastus; ab Africanis arguitur. Mores Christianorum corrupti.*

SÆCULUM V.

SÆculô quintô ineunte, dum Orienti ARCADIUS, Occidenti HONORIUS, præessent, Imperiúmque non una in parte à Barbaris infestaretur, Ecclesiæ pacem non unum etiam dissidium turbavit: In Africa quidem, Schismatis *Donatistici* continuatio; cui, nec variis Conciliis, nec

ARCADIUS Orientis, HONORIUS Occidentis Impp.

Donatistæ.

nec Collatione Carthaginensi an. 411., imò nec Legibus Imperatorum pœnalibus, finis imponi potuit: In Oriente, nova lis de *Origenis* fama; cui favebant *Johannes* Hierosolymitanus Episcopus, *Ruffinus* Presbyter Aquileïensis, & *Nitrienses* Monachi Ægyptii; cui è contrario *Anastasius* Episcopus Romanus, *Hieronymus* Stridonensis presbyter, aliíque, adversabantur: Motæ quinetiam, adversùs *Johannem Chrysostomum*, Constantinopolitanum Patriarcham, persecutiones; impulsoribus præsertim *Theophilô* Alexandrinô, *Antiochô* Ptolemaïdis, & *Severianô* Gabalorum Episcopis; quibus & varii Aulici, imò & *Eudoxia* Augusta, quam Chrysostomi παῤῥησία malè habuerat, sese adjunxêre. Verùm præcipuæ Controversiæ hôc Sæculô agitatæ, fuêre de *Pelagianismo*, *Nestorianismo*, & *Eutychianismo*, de quibus hîc breviter dicendum. Ergo eam hæresim, quæ fuit de Divinæ Gratiæ auxiliis, libe-

Origenistæ.

Persecutiones in *Johannem Chrysostomum*.

liberóque Hominis arbitrio, duo ex Britannia Hiberniáque Monachi, *Pelagius* & *Celestius*, circa annum C. 411. vel 412., in vulgus sparsêre: Celestius in Africa; Pelagius potissimùm in Oriente. Et in Africa quidem, non uno statim Concilio damnati sunt, duce in primis ac promotore *Augustino*, Hipponensi Episcopo, qui acerrimus Pelagianorum adversarius fuit. At in Oriente, sive sententiam dissimularet Pelagius, sive quòd patronos ibi nactus esset, in Conventu *Hierosolymitano* minimè damnatus, in Synodo *Diospolitana* etiam absolutus est. Hinc, causâ Romam delatâ, *Zosimus* Romanus Episcopus, Pelagium & Celestium statim absolvit; mox verò, mutatâ sententiâ, eosdem, nisi resipiscerent, damnavit. Sic igitur, Episcopalibus ac Synodicis decretis, imò & Edictis Imperatoriis, proscripta hæc hæresis est. Interim, damnatis Pelagianis, fuerunt nonnulli, circa an. C. 429.

Pelagianismus.

Pelagius & Celestius in Africa damnantur, in Oriente patronos habent.

Zosimus Rom. Ep. eos statim absolvit, deinde damnat.

Edicta Impp. contra Pelagianos.

Digitized by Google

& 430., qui mediam inter ipsos & Orthodoxos viam insisterent, initia quidem conversionis homini, cætera Gratiæ adscribentes, dicti propterea *Semipelagiani*, quorum principes *Johannes Cassianus* Eremita, & Monachi Massilienses fuêre; quos & *Augustinus* paulò ante mortem, & *Prosper* Aquitanus, aliíque, confutârunt. Circa eadem tempora, *Nestorius* Patriarcha Constantinopolitanus, pro concione negavit Beatam Virginem θεοτόκον *Deiparam* dicendam esse: Quô quidem negatô, cùm dividi Christi persona in duas videretur, hinc multi, quorum caput *Cyrillus* Alexandrinus Patriarcha, adversùs Nestorium vehementer insurrexêre; dum é contrario Nestorius, duas Christi naturas confundi, vel Arii aut Apollinaris hæreses recoqui, ab Adversariis suis contenderet. Damnatus Romæ Nestorius an. 430. Damnatus & in Ægypto; ubi XII. anathematismos contra ipsum vibravit Cyrillus; quibus & totidem anathema-

Semipelágianismus.

Cassianus & Monachi Massilienses.

Nestorianismus.

Nestorius dicitur Christi personam dividere.

Cyrillus Alexandr. contra Nestorium insurgit.

Concilia Romæ & in Ægypto contra Nestorium.

XII. Cyrilli Anathematismi.

Digitized by Google

matiſmos Neſtorius oppoſuit. Tandem Concilio *Epheſino*, quod inter Oecumenica III. numerant, Neſtorius damnatus eſt, an. 431. reclamantibus interim Orientalibus Epiſcopis, in primis *Johanne* Antiocheno, quibus inexpectatis judicium prolatum fuerat. Dum verò à Neſtorii dogmate recederet *Eutyches*, Monachus Conſtantinopolitanus, ipſe in alterum impegit extremum, confuſis Chriſti naturis, quas Neſtorius, ut quidem dicebant, nimium disjunxerat. Et ſtatim quidem, duce *Flaviano*, Conſtantinopolitano Epiſcopo, Conſtantinopoli damnatus eſt, an. 448. Mox, præſide *Dioſcoro*, Alexandrino Epiſcopo, Epheſi eſt reſtitutus, an. 449. in ea Synodo quæ Λῃστρική ſeu *Latrocinalis* vulgò appellatur. Denique in Concilio Chalcedonenſi, Oecum. IV. an. 451. Eutychiano dogmati, ejúſque præcipuo defenſori Dioſcoro, anathema dictum eſt. In hoc Concilio ſcripta eſt Fidei formula, quâ

XII. Neſtorii Anathematiſmi.

Concil. Epheſin. Oecum. III. an. 431. contra Neſtorium.

Eutychianiſmus.

Chriſti naturas confundit Eutyches.

Damnatur Conſtantinopoli an. 448.

Reſtituitur Epheſi an. 449.

Concil. Chalced. Oecum. IV. an. 451. contra Eutychem.

Chriſtus

Digitized by Google

Formula Fidei Chalcedonensis.

Christus *perfectus Deus*, *perfectus homo, consubstantialis Patri secundùm divinitatem, consubstantialis nobis secundùm humanitatem* pronuntiatur; dicuntúrque duæ naturæ in illo unitæ ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, καὶ ἀχωρίστως, *sine conversione, sine confusione, sine divisione.* Ejusdem Concilii Can. 28. statutum est, ut *paria privilegia* Constantinopolitanæ Sedi, cùm Romana, tribuerentur. Porrò, Decretis Chalcedonensibus Eutychiana dissidia minimè composita sunt; sed graves passim ab Eutychianis, Alexandriæ in primis & Antiochiæ, excitatæ sunt seditiones. Nam Alexandriæ, occisô *Proteriô*, ejus Urbis Episcopô, in ejus loco *Timotheum Ælurum* constituunt. Antiochiæ quoque, pulsô *Martyriô*, *Petrum Gnapheum*, sive *Fullonem*, Episcopum sibi creant: Unde Præsulum exauctoratorum, aliorúmque ipsis suffectorum, cùm Eutychianorum, tum Catholicorum, pro variis Populorum motibus, varióque imperantium animo, perpe-

Can. 28. Chalced. de æqualibus Privilegiis Constantin. Sedis cum Romana.

Novi tumultus post Concil. Chalcedon.

Timotheus Ælurus, Petrus Fullo, Episcopi Eutychiani.

tuæ

Digitized by Google

tuæ vices fuerunt. Iſte Petrus Fullo *Triſagio* addidit has voces, *qui paſſus es pro nobis*; adeóque *Theopaſchitarum*, qui Deum ipſum paſſum dicebant, tenuiſſe errorem cenſetur. Interim, ut diſſidentes animos componeret ZENO Imp., ſuaſu *Acacii* Conſtantinopolitani Epiſcopi, *Henoticon* ſeu Unitivum Edictum promulgavit; quo, neque rejectô, neque admiſſô Conciliô Chalcedonenſi, quod erat veluti diſcordiæ pomum, fides orthodoxa tradebatur, & Neſtorii atque Eutychetis errores damnabantur: cui Edicto non pauci etiam ex Eutychianis ſubſcripſêre, intérque alios *Petrus Moggus*, qui Alexandriæ, & *Petrus Fullo*, qui Antiochiæ, Epiſcopi reſtituti ſunt. Verùm, cùm de illa reſtitutione Catholici quidam quererentur, ſpeciatim *Johannes Talaïda*, qui, reſtitutô Moggô, é Sede Alexandrina pulſus fuerat, hinc, inter Romanos Epiſcopos, qui horum partes tuebantur, & *Acacium* Conſtantinopolita-

Additio Triſagio facta à Petro Fullone.

Henoticum ZENONIS, an. 482.

Eutychiani Henotico ſubſcribentes, Sedibus reſtituti.

Diſſidium inter Roman. Epiſc. & *Acacium* Conſtant.

litanum, gravis nata altercatio est; quæ nonnisi Sæculô sequente componi potuit. Accessêre hôc Sæculô ad Christi fidem *Franci*, rege *Chlodoveô*; cujus in baptismo Ampullam oleo gravidam cœlitùs demissam fabulantur. Facti & Christiani sunt, Ariano more, *Burgundiones*. *Gothi* & *Vandali* pridem Ariani, Orthodoxos in Africa crudelissimè habuerunt; cujus Persecutionis historiam scripto consignavit *Victor Vitensis*. Hâc ætate, Doctores non pauci, Ecclesiam, cùm Orientalem, tum Occidentalem, illustrârunt: Orientalem, *Chrysostomus*, *Cyrillus* Alexandrinus, *Theodoretus*, *Isidorus* Pelusiota, &c.; Occidentalem *Augustinus*, *Hieronymus*, *Prosper*, *Salvianus*, *Paulinus*, *Cassianus*, *Vincentius* Lirinensis, &c; quos inter, non est omittendus *Leo I.* Rom. Episc., vir maximis ornatus dotibus, sed & proferendis Sedis suæ juribus supra modum addictus. Multos, hôc Sæculô, *in ipsa vera*

Conversio Francorum, rege *Chlodoveo*.

Conversio Burgundionum.

Vandali Ariani Orthodoxos in Africa persequuntur.

Scriptores Ecclesiastici *Sæc. V.*

Leo I. Rom. Episc.

vera religione superstitiosos fuisse, multos *sepulchrorum & picturarum adoratores*, testatur *Augustinus*, Lib. 1. de moribus Eccl. Cathol.; qui & alibi fatetur, se ipsum *multa hujusmodi, propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare ausum non esse.* Epist. 119. ad Januar. Alii tamen audaciores, ut *Vigilantius* Presbyter Hispanus, qui *cinerarios* ac *idololatras* eos vocabat, qui ossa defunctorum venerabantur: At, pro laudibus, quibus dignus erat, nil nisi convitia ab Hieronymo retulit. Dissidia Nestoriana ac Eutychiana, vel hoc nomine infausta fuêre, quòd, damnatô Nestoriô, vox θεοτόκος, sive *Deiparæ*, veluti consecrata fuerit, cultúsque B. Virginis superstitiosus non parùm promotus. Crescebat indies Præsidum Ecclesiæ, in primis verò Episcopi Romani, fastus, qui supra reliquos sese extollere, omniáque ad se trahere, quâvis occasione datâ, ten-

Superstitionis augmentum.

Vigilantius superstitiones arguit.

B. Virginis Cultus promotus.

Crescens Episcopi Romani fastus;

Digitized by Google

ab Africanis arguitur.

tentabat: Sed *fumosum* illum *typhum* Africani præ cæteris arguerunt, & transmarinas appellationes non uno in Concilio damnârunt. Mores Christianorum quàm corrupti fuerint, quámque alieni à Christi Legibus, vel ex uno *Salviano* constare potest.

Mores Christianorum corrupti.

Summa Capita

SÆCULI VI.

Eutychiani diffidii continuatio. ANASTASIUS *Imp. Eutychianis favet.* JUSTINUS *Imp. Orthodoxus. Pax inter Romanam & Constantinopolitanam Sedem restituta.* Johannes *Rom. Episc. à* Theodorico *Rege in Orientem missus, in gratiam Arianorum. Controversia de corruptibilitate corporis Christi.* Theodora JUSTINIANI *Imp. uxor, Eutychianis addicta.* Anthimus *Eutychianus damnatur.* Mennas *Constanti-*

tantinopolitanus Episcopus ordinatur. Concilium Constantinopolitanum sub Menna, an. 536. Origo dissidii de tribus Capitulis. Origenis dogmata damnata an. 541. Quid fuerint tria Capitula. Edictum Justiniani Imp. adversùs tria Capitula, an. 545. Eadem damnata in Concilio Constantinop. an. 546. Vigilius *Rom. Episcop. tria Capitula, modò defendit, modò damnat. Concilium Constantinopolitanum, Oecum. V. an. 553. adversùs tria Capitula. Vigilius Concilio adesse renuit, & tria Capitula Scripto defendit. Concilium tria Capitula damnat. Vigilius Concilii sententiam, primò rejicit, deindè adprobat.* Pelagius *Rom. Episc. tria Capitula damnat. Plerique Occidentales Concilium V. rejiciunt, & trium Capitulorum damnationi subscribere nolunt. Gentes hôc Sæculô ad Christi fidem conversæ.* Augustinus *Monachus à* Gregorio I. *Rom. Episc. ad Anglo-Saxones con-*

Digitized by Google

vertendos missus. Arianismi decrementum. Corpus Juris Justinianæi. Æra Christiana. Ordinis Benedictini fundatio. Scriptores Ecclesiastici Seculi VI. Gregorius I. *Rom. Episc. Ejus dissidium cum Johanne Jejunatore, Constant. Episc. qui se Episcopum Oecumenicum dixerat. Status Ecclesiæ in dies pejor.*

SÆCULUM VI.

Eutychiani dissidii continuatio.

SÆculo VI. continuata sunt, de Eutychianismo, & Concilii Chalcedonensis auctoritate, dissidia; aliis Concilium illud admittentibus; aliis rejicientibus; aliis, juxta Henoticum Zenonis, de illo nihil pronuntiantibus; qui postremi *Acephali* atque *Hæsitantes* denominati sunt. Et his quidem favebat ANASTASIUS, Orientis Imperator, ea de causa à *Symmacho* Rom. Episc. excommunicatus. Verùm Anastasii successor JUSTINUS, Orthodoxæ addictus causæ, Arianis pariter ac Eutychianis

ANASTASIUS Imp. Eutychianis favet.

JUSTINUS Imp. Orthodoxus.

his adversum se præbuit; pacémque, Romanam inter & Constantinopolitanam Sedem, instauravit. Ad hunc *Theodoricus*, Italiæ Rex, sectâ Arianus, *Johannem* Romanum Episcopum legatum misit, an. 525. qui pro Arianis Orientalibus intercederet: At verò, cùm legatio illa pro Theodorici votis non cessisset, Johannem reducem in vincula conjecit, ubi anno sequente mortuus est.

Pax inter Rom. & Const. Sedem restituta.

Johannes Rom. Episc. à Theodorico Rege in Orientem missus, in gratiam Arianorum.

Circa hæc tempora, Alexandriæ in Ægypto, inter ipsos Eutychianos mota quæstio est, de corruptibilitate corporis Christi ante ejus resurrectionem: Qui incorruptibile docebant, eò quòd inde sequeretur Christum nonnisi φανταστικῶς seu apparenter passum esse, dicti sunt *Phantasiastæ* & *Aphthartodocitæ*: Qui verò dicebant corruptibile, *Phtartolatræ* seu *Corrupticolæ*, ab adversariis cognominabantur. Et hæc quidem Controversia, aliæque affines, sub JUSTINIANO Imp. magno æstu agitatæ sunt; Aphthartodocitis, adeó-

Controversia de corruptibilitate corporis Christi.

Digitized by Google

Theodora Justiniani Imperatoris uxor, Eutychianis addicta.

que Eutychianis, favente *Theodora*; Justiniani uxore; quæ *Anthimum*, suæ factionis hominem, in Constantinopolitana Sede collocavit: Verùm restiterunt Catholici; Unde *Agapetus* Rom. Episc., qui Constantinopoli tum temporis, à Theodato Gothorum Rege missus, versabatur, cum Anthimo communicare noluit; imò &, eô damnatô, *Mennam* ordinavit, an 536; sub quo Menna, Concilium eôdem annô Constantinopoli habitum est, quô, tum *Anthimus* ipse, tum alii Eutychianæ factionis Antistites, *Severus*, *Petrus*, & *Zoaras*, damnati atque anathemate percussi sunt: quam damnationem ratam Justinianus habuit, Edictóque confirmavit. Interim nova lis orta est, de re quidem per se levissima, sed quæ ingentes in Ecclesia turbas excitavit. Scilicet, in odium *Theodori* Cæsareensis Episcopi, à quo Origenes maximi fiebat, *Pelagius* Diaconus Romanus, Monachique quidam Orientales, Origenis dogmata,

Anthimus Eutychianus damnatur.

Mennas Constant. Episc. ordinatur.

Concil. Constant. sub Menna, an. 536.

Origo dissidii de tribus Capitulis.

Origenis dogmata

mata, ab Imperatore primùm, deinde & ab Episcoporum Conventu, damnari curârunt, an. 541. Quam damnationem ut ulcisceretur Theodorus, simúlque aliquam Concilio Chalcedonensi labem adspergeret, (erat enim Eutychianus) Imperatori auctor fuit, ut tria vicissim Scripta, Nestorianismo faventia, damnari curaret; si fieret, Eutychianos omnes in Ecclesiam statim redituros. damnata an. 541.

Scripta autem illa erant, 1. Libri *Theodori Mopsuesteni*, qui ante 150. annos vixerat, quíque hæresi Nestorianæ dicebatur prælusisse; 2. Libri *Theodoreti* Episcopi Cyrensis adversùs Cyrillum; 3. *Ibæ* Episcopi Edesseni Epistola ad Marim Persam; Quibus Scriptis, Ephesini Concilii fides dicebatur labefactari. Atque hæc fuerunt *tria Capitula*, de quibus totô hôc Sæculô tanto æstu dimicatum est. Quid fuerint tria Capitula.

Imperator, suasu Theodori, Scripta illa primùm ipse damnat, promulgatô hac de re Edictô an. 545. deinde & anno sequenti, Edictum Justiniani Imp. adversus tria Capitula, an. 545.

 in

Eadem damnata in Concil. Constant. an. 546.

Vigilius Rom. Episc. tria Capitula, modò defendit, modò damnat.

Concil. Constant. Oecum. V. an. 553. adv. tria Capitula.

Vigilius Concilio adesse renuit, & tria Capitula Scripto defendit.

Concilium tria Capitula damnat.

Vigilius Concilii sententiam, primò rejicit, deinde adprobat.

in Concilio Constantinopoli habito damnari curat. Cui damnationi *Vigilius*, Romanus Episcopus, qui tum erat Constantinopoli, acriter statim sese opposuit; mox eandem adprobavit; sed cùm videret exosam illam Occidentalibus esse, iterùm pedem retraxit, miræ homo levitatis, prout in tota hujus negotii serie patuit. Tandem, huic componendæ liti, Concilium Oecumenicum Constantinopoli habitum est, an. 553.; cui adesse Vigilius noluit, eo quòd paucos ex Occidente Episcopos secum haberet: Imò verò, dum sederet Concilium, ipse propriam sententiam peculiari Scripto exposuit, quô tria Capitula defendebantur. Verùm, non obstante Vigilii judiciô, pergit Concilium rem totam expendere, tribúsque Capitulis anathema dicit. Cui sententiæ cùm Vigilius assentiri renueret, ab Imperatore in exsilium missus est; mox verò, mutatâ sententiâ, Constantinopolim rediit, Scriptôque non unô Concilii sententiam,

de

Digitized by Google

de trium Capitulorum damnatione, adprobavit. Eô mortuô, *Pelagius* Diaconus, non tam Cleri Populíque votis, quàm Imperatoris jussu, Romanæ Cathedræ admotus, tria Capitula, quæ priùs defenderat, statim damnavit. Verùm, neque Concilii decretis, neque Pontificis judicio, pars magna Episcoporum Occidentalium adquiescere voluit: Plurimi quippe, tum ex Africa, tum ex Insubria, Liguria, Thuscia, tum ex Gallia atque Hispania, tum ex ipsa denique Hibernia, nullis, neque minis, neque exsiliis, ad Concilium V. adprobandum, triáque Capitula damnanda, compelli potuêre: Quinimò multi, eam ob caussam, Romanæ Ecclesiæ communioni se subduxerunt; neque ante 120. annos finis huic est Schismati impositus. Magno documento, quid affectus possint, ad excitandas atque alendas de nihili rebus contentiones: Unde ingenuè Theodorus, *se & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scan-*

Pelagius Rom. Episc. tria Capitula damnat.

Plerique Occidentales Concilium V. rejiciunt, & trium Capitulorum damnationi subscribere nolunt.

Digitized by Google

dalum in mundum introïverat, dixisse fertur. *Liberat. Breviar.* cap. 14.

Gentes hoc Sæculo ad Christi fidem conversæ.

Conversæ, hôc Sæculô; ad Christi fidem, multæ ad Pontum Euxinum Gentes, *Heruli*, *Abasgi*, *Lazi*, aliíque. Conversi & *Boïi* seu *Bavari*, aliíque in Germania Populi. In Britannia, *Pictos* Septentrionales *Columba* Hibernus, *Anglo-Saxones Augustinus* Monachus, ad Christum adduxêre; qui *Augustinus* à Gregorio I. Romano Episcopo missus fuerat, fuitque primus Archiepiscopus Gentis Anglorum. Arianismus, qui sub Gothis, Vandalis, & Burgundis dominabatur, sub Justino & Justiniano non parùm decrementi accepit; *Sigismundo* Burgundionum, *Hilderico* Vandalorum, *Reccaredo* Wisigothorum in Hispania Regibus, Catholicam fidem amplexis. Corpus *Juris Justinianæi* à *Triboniano* Jurisconsulto digestum; Æra Christiana, à *Dionysio Exiguo*, Abbate Romano, instituta; nova Monachorum per Occidentem familia, à *Benedicto*

Augustinus Monachus à Gregorio I. Rom. Ep. ad Anglo-Saxones convertendos missus.

Arianismi decrementum.

Corpus Juris Justinianæi.

Æra Christiana.

Ordinis Benedicti-

to Nursino fundata; aliáque idgenus memorabilia, fusè diducere, compendii ratio non sinit. Scriptores Ecclesiastici, multi quidem, sed pauci insignes: Inter præcipuos, *Fulgentius* Ruspensis, *Facundus* Hermianensis, *Cassiodorus*, *Boëthius*, &c. denique, sub finem Sæculi, *Gregorius I.* Romanus Episcopus, cui Magni inditum cognomen; qui re verâ egregia multa, sed Sæculi nævis permixta, habuit. Fuit illi grave dissidium cum *Johanne Jejunatore*, Constantinopolitano Episcopo, qui titulum *Episcopi Oecumenici* sibi assumpserat; quem quidem titulum, intolerandæ superbiæ incusabat Gregorius, dicebátque venturi proximè Antichristi indicium esse. Ecclesiæ statum indies pejorem, Gregorius ille non malè describit, dum eam navi putrescenti, & naufragium minanti, adsimilat.

ni fundatio.

Scriptores Eccles. Sæc. VI.

Gregorius I. Rom. Episc.

Ejus dissidium cum *Joanne Jejunatore* Constant. Episc. qui se Episcopum Oecumenicum dixerat.

Status Ecclesiæ indies pejor.

SUMMA

Digitized by Google

Summa Capita

SÆCULI VII.

MAURITIUS *Imp.* *à* PHOCA *occiditur. Titulum* Epiſcopi Oecumenici *Bonifacius III. Rom. Epiſc. à Phoca impetrat.* Muhammed *oritur. Ejus doctrina.* Hegiræ *initium an. C.* 622. *Monotheliſmi origo. Honorius Rom. Epiſc. Monothelita.* HERACLII *Imp.* Ἔκθεσις, *an.* 639. CONSTANTIS *Imp. Typus, an.* 648. *Concilium Romanum contra Monothelitas, an.* 649. *Concilium Conſtantinopolitanum III. Oecumen. VI. an.* 680. *adversùs Monothelitas. Edictum* CONSTANTINI Pogonati *Imp. contra Monothelitas. Concilium in Trullo, ſeu Quini-ſextum, an.* 692. *Ejus Canones Eccleſiæ Romanæ oppoſiti. Concilium hoc ab Eccleſia Romana rejicitur. Propagatio Chriſtianiſmi*

hôc

Digitized by Google

hôc Sæculô. Muhammedismus latè diffunditur. Literarum Studia neglecta. Scriptores Ecclesiastici Sæculi VII. Superstitionis augmentum.

SÆCULUM VII.

SEptimô ineunte Sæculô, MAURITIUS Imperator solio deturbatur, crudelitérque interficitur à PHOCA Centurione, qui Imperium arripit. Ab hoc tyranno, titulum Episcopi Oecumenici *Bonifacius III.* Romanus Pontifex obtinet; quem titulum, in *Johanne Jejunatore*, Constantinopolitano Episcopo, tantoperè damnaverat atque abhorruerat Bonifacii decessor *Gregorius*. Sub HERACLIO, Phocæ interfectore & successore, exortus est *Muhammed*, Arabs impostor; séque Dei Legatum, pari audaciâ & successu, venditare cœpit. Quô quidem fine, vocatis in consilium *Sergiô* Monachô, & Judæo quodam Doctore, non tam novam doctrinam, quàm impu-

MAURITIUS Imp. à PHOCA occiditur.

Titulum Episcopi *Oecumenici*, Bonifacius III. Rom. Episc. à Phoca impetrat.

Muhammed oritur.

Ejus doctrina. impuram quandam, ex Judaïſmo, Chriſtianiſmo, & Arabum ſuorum Ethniciſmo, farraginem compoſuit: Uſúſque temporum opportunitate, quibus Chriſtiani ſe invicem diſcerpebant, & Romanum Imperium bellis undique diſtrahebatur, novæ Sectæ, novíque Imperii conditor fuit. Prophetam agere cœpit circa annum C. 611. vel 612. Meccâ verò, quæ patria ejus erat, fugere Medinam coactus eſt, an. C. 622. Atque hinc initium *Hegiræ*, celeberrimæ Turcarum æræ; *Hegira* enim Arabicè *fugam* deſignat. Chriſtiani tunc, ut dictum modò eſt, factionibus ſcindebantur; nondum ſopitis, quæ ſuperiora turbaverant Sæcula, de Eutychianiſmo & Concilii Chalcedonenſis auctoritate, diſſidiis. Ex his verò nova quæſtio hôc Sæculô exorta eſt, an una tantùm, an verò duæ voluntates atque operationes in Chriſto dicendæ eſſent? Unam tantùm dixit *Theodorus* Pharanitanus in Arabia Epiſcopus;

Hegiræ initium an. C. 622.

Monotheliſmi origo.

cui

cui & *Cyrus*, primùm Phasidos, deinde Alexandriæ Episcopus, & *Athanasius* Antiochenus, & *Sergius* Constantinopolitanus, nec non & *Honorius* Romanus Pontifex, consensêre. Verùm alii Episcopi, præsertim *Sophronius*, Hierosolymitanus Antistes, in sententiam illam insurgunt, merúmque Eutychianismum, mutato nomine, revocari clamant. Imperator, Sergii monitu, ἔκθεσιν sive *Expositionem Fidei* promulgat, an. 639.; quâ *Monothelismus* (sic vocatum est dogma de una tantùm Christi voluntate) apertè statuebatur; silentium tamen hac de re imperabatur. Idem & statuit CONSTANS Imperator, Heraclii nepos, publicatô novô Editô, an. 648. quod *Typum* appellavit. At verò Romani post Honorium Pontifices Monothelitis bellum indixerunt; qui in Concilio Romæ habito, an. 649., solemni judicio damnati sunt. Hinc Constantis Imperatoris gravis ira in *Martinum* Papam, quem Roma per

Honorius Rom. Ep. Monothelita.

HERACLIUS Imp. Ἔκθεσις, an. 639.

CONSTANTIS Imp. Typus, an. 648.

Concil. Roman. contra Monothelitas, an. 649.

vim

vim abripit, & Chersonam relegat, an. 653., ubi ille biennio pòst moritur. Tandem, post multas disceptationes, CONSTANTINUS POGONATUS Imperator, huic sopiendo dissidio, Concilium Oecumenicum Constantinopolim convocat, an. 680. ubi, præsentibus *Agathonis* Papæ Legatis, aliisque, cùm Orientis, tum Occidentis Episcopis, Monothelismus, ejúsque fautores, intérque alios *Honorius* Papa, decretoriâ sententiâ damnantur: Quam sententiam Edictô quoque confirmavit Imperator, Monothelitis exsilium, aliásque pœnas, comminatus. Cùm verò, neque in Concilio Oecumenico V. Sæculo superiori habito, neque in hoc VI. de quo modò diximus, ulli Canones de Disciplina conditi essent, propterea novum Concilium, curâ JUSTINIANI II. Imperatoris, & *Callinici* Patriarchæ, Constantinopoli habitum est an. 692., in turri Palatii *Trullo* dicta, dictum vulgò *Concilium in Trullo*, aut *Quini-sextum*,

Concil. Constant. III. Oecumen. VI. an. 680. adversus Monothelitas.

Edictum CONSTANTINI *Pogonati* Imp. contra Monothelitas.

Concilium in Trullo, seu Quinisextum, an. 692.

sextum, eo quòd Quinti & Sexti quoddam veluti supplementum esset; quô Canones CII. de Disciplina sanciti sunt, & nonnulli quidem Romanis placitis atque usibus contrarii; ut Canon 13. qui Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis conjugatis usum conjugii permittit, solô exceptô sacrarum functionum tempore; ut Canon 36. qui Canonem Chalcedonensem, de æqualibus privilegiis Constantinopolitanæ Sedis cum Romana, confirmat; Item Canon 55. qui jejunium Sabbathi Romæ usitatum interdicit &c.: Unde & huic Concilio, Oecumenico Orientalibus habito, Papa *Sergius* subscribere noluit; neque ab Ecclesia Latina receptum est. Hôc Sæculô, non una in parte Christianum nomen disseminatum est, præsertim apud *Anglo-Saxones*, *Frisios*, *Geldros*, aliósque Germaniæ Populos; dum é contrario Muhammedana impietas & principatus, per Arabiam, Syriam, Ægyptum, imò & Persidem,

Ejus Canones Ecclesiæ Romanæ oppositi.

Concilium hoc ab Ecclesia Romana rejicitur.

Propagatio Christianismi hôc Sæculô.

Muhammedismus latè diffunditur.

Digitized by Google

dem, deplorandâ celeritate sese diffunderent. Sed & ipsius Christianismi corruptior indies status erat.

Literarum studia neglecta.

Litterarum studia Barbarorum irruptiones penè exstinxerant: tantáque erat Virorum doctorum per Occidentales Ecclesias penuria, ut moram suam in conquirendis, quos ad Concilium Constantinopolitanum mitteret Legatis, iisque non admodum doctis, hac temporum infelicitate excusaret *Agatho* Papa, suis ad *Constantinum* Imperatorem Litteris.

Scriptores Ecclesiastici Sæc. VII.

Neque sanè, apud eos Scriptores, qui ex hac ætate non multi habentur, quidquam valdè lectu dignum occurrit. Plerique meri exscriptores, nec ingenio, nec doctrina clari. Præcipui, *Isidorus* Hispalensis, *Julianus* Toletanus, *Sophronius* Hierosolymitanus, *Maximus* Abbas, *Johannes Moschus*, auctor *Prati spiritualis*, quæ putida est Fabularum & nugarum Monachalium farrago; &c.

Superstitionis augmentum.

Unde non mirum, si Superstitio, ignorantiæ comes assidua, paribus

Digitized by Google

ribus augmentis creverit; nec nisi in condendis Basilicis, Monasteriis exstruendis atque ditandis, imaginibus, reliquiis, crucibus, vestibus, tonsuris, jejuniis, aliisque idgenus ineptiis, tota fermè horum temporum pietas collocata sit.

Summma Capita

SÆCULI VIII.

Res Politicæ Sæculi VIII. Imperatorum infausti exitus. Saraceni Hispaniam invadunt. Sub Carolo Martello, Pipino, Carolo M., *Franci invalescunt. Origo Controversiæ de Imaginibus.* PHILIPPICUS BARDANES *Imp. Imagines Conciliorum é Palatio auferri jubet. Constantinus Rom. Episc. easdem Imagines Romæ pingi curat, & Philippico Imp. anathema dicit.* Iconoduli, Iconolatræ: Iconomachi, Iconoclastæ. LEO ISAURUS *Imp.*

Iconomachus. Seditiones Constantinopoli in caussa Imaginum. Gregorius II. & III. Rom. Episc. defendunt Imagines, & Leonem Imp. excommunicant. Provinciæ Italicæ ab Imperatore deficiunt. Exarchatus Ravennatensis eversus, an. 752. CONSTANTINUS Copronymus *Imp. Iconomachus. Concilium Constantinopolitanum, Græcis Oecumen. VII. an.* 754. *contra Imagines.* LEO IV. *Imp. Iconomachus.* IRENE *Imperatrix Iconolatra. Concilium Nicænum II. Latinis Oecumen. VII. an.* 787. *pro Imaginibus. Libri* CAROLI *M. adversùs Imagines. Concilium Francofurtense, an.* 794. *contra Imagines. Britannia Canones Nicænos rejicit. Aucta hôc Sæculô Episcopi Romani potentia.* Constantinus *Rom. Episc. pedum osculo exceptus à* Justiniano *II. Imp.* Zachariæ *Rom. Episc. consilio & auctoritate,* Childericus *regno Gallico exuitur, &* Pipinus *Rex creatur. Pipinus Romanam Sedem contra Longobardos*

defen-

Digitized by Google

defendit. Idem Exarchatum Ravennatensem, alidsque ditiones, Ecclesiæ Romanæ donat. Hæ donationes à Carolo *M. confirmatæ & auctæ. Vera origo dominii temporalis Papæ. Officium Gregorianum, & ritum psallendi Romanum, Carolus M. per Germaniam & Galliam instituit. Carolus M.* Leonem III. *Pontif. Rom. restituit.* CAROLUS *M. Imperator renuntiatus an.* 800. *Præsentia realis Corporis Christi in Eucharistia primùm adserta in Conc. Nicæn. II. De processione Spiritûs S. inter Græcos & Latinos disceptari cœpit. Error* Felicis & Elipandi. *Germanorum multi ad Christum adducti.* Bonifacius *Archiep. Moguntinus. Saxonum conversio. Scriptores Ecclesiastici Sæculi VIII. Ignorantia. Superstitio.*

SÆCULUM VIII.

RES Imperii, ut superioribus Sæculis, ita & hôc, non parùm adtritæ. Imperatorum Byzantinorum, alii quidem abscissis naribus, Res Politicæ Sæc. VIII.

 bus,

bus, (ut JUSTINIANUS II. inde *Rhinotmetus* appellatus, qui cùm expulsus à LEONTIO fuisset, decennióque in Taurica Chersoneso relegatus, annô hujus Sæculi quintô Bulgarorum auxiliis restitutus est, sexennio post à PHILIPPICO successore trucidandus) alii effossis oculis, alii alia indigna passi, de solio dejecti cernuntur. Saraceni, latè prolatô per Orientem Africámque imperiô, ipsa quoque Occidentis ultima, Hispaniam nempe, armis tentant; quam penè totam, paucissimis annis, Gothis ereptam, sibi subjiciunt. Dux expeditionis *Tarichus*, cùm in monte ad fretum Gaditanum sito, castra posuisset, locus ille *Gebal-Tarich*, id est, *mons Tarichi*, inde *Gibraltar* dictus est. Italiam penè omnem, à longo jam tempore, Longobardi tenebant: Eandem, his victis, Franci obtinent; ereptúsque Græcis Imperatoribus Exarchatus Ravennatensis Romano Episcopo in prædam cedit. Sub *Carolo Martello*;

Imperatorum infausti exitus.

Saraceni Hispaniam invadunt.

Digitized by Google

lo, *Pipino*, *Carolo Magno*, mirè invalescit Francorum nomen, qui novæ Regum stirpis in Gallia, novi Regni Italiæ, novíque in Occidente Imperii fundamenta ponunt. Hos inter motus, Ecclesiam non alia res magis exercuit, quàm Controversia de Imaginibus, quæ utramque ferè paginam in hujus Sæculi rebus constituit. [1] Cœperat, jam inde à duobus tribúsve Sæculis, Imaginum frequentari in Sacris usus: quæ statim quidem ad ornatum, & rudiorum institutionem comparatæ, mox, pro solito plebis ingenio, ad cultum & venerationem traductæ fuerant. Damnatum quidem id à multis fuerat; quorum alii Imagines prorsùs auferri voluerant, ut *Serenus* Massiliensis Episcopus, sub finem Sæculi VI.; alii eas retentas quidem, sed minimè cultas voluêre, ut *Gregorius I.* Rom. Episc., suis ad Serenum literis: Sed frustrà illi, nec eorum consiliis cohiberi se plebs passa est. Neque solùm Imagines Biblicæ, sed &

Sub *Carolo, Martello, Pipino, Carolo M.* Franci invalescunt.

Origo controversiæ de Imaginibus.

Icones Virorum insignium, Martyrum, Episcoporum, quandoque & Principum, in Basilicis earúmque porticibus collocabantur. Quæ cùm ita essent, aliquid accidit Seculo VIII., quod aperto de Imaginibus dissidio ansam præbuit. Occasio nata ex Monothelismo, cui cùm faveret PHILIPPICUS BARDANES, Orientis Imperator, effigiem sextæ Synodi, quâ Monothelitæ damnati fuerant, vel, ut alii narrant, sex Synodorum Universalium, é Palatio, antequàm in illud ingrederetur, auferri jussit. Qua re iratus *Constantinus*, qui tum erat Romanus Episcopus, rejectis Philippici literis, imò & eô diris devotô, effigiem sex Synodorum Universalium in Romana Petri porticu pingendam curavit: Quin &, coactis Italiæ Episcopis, eos omnes qui Sanctis Imaginibus venerationem ab Ecclesia constitutam denegarent, damnavit. Et ab eo quidem tempore, mutatus est status Quæstionis; neque ampliùs de Mo-

PHILIPPICUS BARDANES Imp. Imagines Conciliorum é Palatio auferri jubet.

Constantinus, Rom. Ep. easdem Imagines Romæ pingi curat, & Philippico Imperatori anathema dicit.

Digitized by Google

Monothelismo, sed de Imaginum in Sacris usu ac veneratione disceptari cœpit: Qui eas retinebant ac venerabantur, *Iconoduli*, seu *Iconolatræ*; Qui verò eas auferri volebant, *Iconomachi* & *Iconoclastæ* vocati sunt. Igitur, LEO ISAURUS, Orientis Imp. cùm crebrescere magis magísque Imaginum cultum cerneret, eámque ob caussam Christianum nomen apud Judæos & Saracenos malè audire, re cum Episcopis communicatâ, Idololatriam illam abolere constituit; sacrásque Imagines, tum ex Basilicis, tum in tota passim Urbe, disjici jussit; primùm quidem annô 726. deinde & novô Edictô, annô 730. Quod dum fieret, non una plebis coorta seditio est, multíque ex Leonis Ministris, dum Imagines diruerent, occisi; in quarum cædium auctores à Leone animadversum est. Cùm verò pro Imaginibus præ cæteris staret *Germanus*, Constantinopolitanus Episcopus, illum Imperator à Sede di-

Iconoduli, Iconolatræ; Iconomachi, Iconoclastæ.

LEO ISAURUS Imp. Iconomachus.

Seditiones Constantinopoli in causa Imaginum.

Digitized by Google

movit, ejúsque loco *Anastasium* constituit. Verùm acerrimi fautores Imaginum, duo *Gregorii*, II. & III. Pontifices Romani, fuêre; qui, cùm scriptis ad Leonem literis, ignorantiæ & superstitionis plenis, dimovere illum à proposito non possent, anathemate ipsum percusserunt; imò & Romam, cæterámque Italiam, ab obsequio ejus abduxerunt. Id certè referunt Scriptores plerique, cùm Græci, tum Latini; quanquam & alii, Pontificum metuentes famæ, illos ab hoc perduellionis crimine absolvunt. Quidquid sit, Italicæ Provinciæ, quæ Imperatori adhuc suberant, putà Ravennatensis, quæ sedes erat Exarchi, Pentapolitana, Campania, ipsáque Roma, ab eo deficiunt; vectigalia ei pendi solita denegant; Paulum Ravennæ Exarchum occidunt; alios Duces malè habent; Neque antè bellorum ac tumultuum finis fuit, quàm, everso Exarchatu Ravennatensi, omnis Græcorum Imperatorum in Italia prin-

Gregorius II. & III. Rom. Episcopi, defendunt Imagines, & Leonem Imp. excommunicant.

Provinciæ Italicæ ab Imperatore deficiunt.

Exarchatus Ravennaten.

Digitized by Google

principatus planè exstinctus sit. Factum hoc ab *Aistulpho* Longobardorum Rege, an. 752. dum CONSTANTINO Imperatori, cognomento *Copronymo*, aliis distento bellis, ad retinendam vel recuperandam Italiam satis non vacaret. Iste Constantinus, Leonis filius atque successor, paterno fuit in Imagines animo; Conciliúmque Constantinopoli, 338. Episcoporum, haberi curavit, an. 754. quô, re omni probè expensâ, omnis Imaginum in Sacris usus cultúsque damnatus est: Quod Concilium, rejectum quidem à Latinis, pro Oecumenico à Græcis habitum est; ejúsque sententia, quamdiu imperavit *Constantinus*, ut & sub LEONE ejus filio, semper obtinuit: Donec, mortuô *Leone* an. 780., filióque CONSTANTINÔ adhuc impubere, IRENE Imperatrix, quæ filii nomine Imperium regebat, de Imaginibus restituendis consilium cepit; eúmque in finem, auctore *Tarasio*, quem ex Laïco, contra Canones,

sis eversus, an. 752.

CONSTANTINUS Copronymus, Imp. Iconomachus.

Concil. Constantin. Græcis Oecumen. VII. an. 754. contra Imagines.

LEO IV. Imperator Iconomachus.

IRENE Imperatrix Iconolatra.

Digitized by Google

Patriarcham fecerat, accedente & *Hadriani I.* Romani Pontificis auctoritate, Concilium Nicænum II. convocavit, annô 787., quô Concilium Constantinopolitanum, de quo diximus, damnatum; cultúsque Crucis atque Imaginum (solis exceptis Dei Iconibus, quæ prohibentur) putidissimis rationibus fabulísque adsertus est. Verùm Nicænos illos Canones, utut ab Ecclesia Romana adprobatos & commendatos, pars magna Ecclesiarum Occidentalium respuit. Certè illos, non rejecit modò, sed & Libris IV. qui sub ejus nomine veniunt, confutavit atque impietatis postulavit CAROLUS MAGNUS; Cujus & curâ, Francofurtensis Synodus habita est, an. 794., à quâ etiam Nicæna decreta confutata ac rejecta sunt. Neque alia Britannicarum Ecclesiarum sententia fuit, teste *Rogero Hovedeno*, aliísque Anglorum Historicis. Unde non mirum, si, Sæculo sequenti, multa ite-

Concil. Nicæn. II. Latinis Oecum. VII. an. 787. pro Imaginibus.

Libri Caroli M. adversus Imagines.

Concil. Francof. an. 794. contra Imagines.

Britannia Canones Nicænos rejicit.

iterùm, tum in Occidente, tum in Oriente, contra Imaginum cultum gesta sint, quemadmodum suô locô à nobis narrabitur. Non aliô Sæculô, plus quàm hôc, lucrati sunt Romani Pontifices: tum studiis Imperatorum Græcorum, qui eorum ambiebant gratiam, quo res suas in Italia nutantes sustentarent; unde accitum Constantinopolim Papam *Constantinum*, inter alia honoris indicia, pedum osculo excepisse dicitur JUSTINIANUS II., primô talis indignitatis superbiæque exemplô: tum scriptis diris, ut dictum modò est, in Imperatores Iconomachos, eorúmque ad se tractis juribus: tum denique Francorum favore Regum, quos inter & Romanos Pontifices, mutuis adstricta officiis, necessitudo intercessit. Cùm enim Francos tæderet, Regibus inertibus diutiùs parére, *Pipinúsque*, quem penes erat rerum summa, ad regium quoque nomen adspiraret, consultô hac de re *Zachariâ*, eô-que

Aucta hôc Sæculô Episcopi Romani potentia.

Constantinus Rom. Episc. pedum osculo exceptus à Justiniano II. Imp.

Zacharias Rom. Ep. consilio & auctoritate, Childericus regno Gallico exui-

tur, & Pipinus Rex creatur.

que auctore, *Childericus* Merovingiorum ultimus, regno exutus, ac in Monasterium trusus, *Pipinus* verò in regem inunctus, an. 752. Atque hinc Pipini studium in Romanam Sedem, quam non modò contra Longobardos, semel atque iterùm superatis Alpibus, defendit; sed & Exarchatum Ravennatensem, cæteráſque ditiones Imperatoribus Græcis à Longobardis ereptas, Ecclesiæ Romanæ donavit. Quam donationem, non ratam modò habuit, sed &, novis additis ditionibus, ampliorem fecit CAROLUS MAGNUS, post victum nempe *Desiderium*, ultimum Longobardorum regem, regnúmque Italiæ sibi subjectum, an. 774. Et hi quidem sunt veri natales temporalis dominii Romani Pontificis, non verò fictitia illa *Constantini M. donatio*, vel *donatio Alpium Cottiarum*, ab *Ariperto* Longobardorum rege, sub initia hujus Sæculi; quæ commenta à Viris doctis, etiam Pontificiis, pridem explosa

Pipinus Romanam Sedem contra Longobardos defendit.

Idem Exarchatum Ravennatensem, aliáſque ditiones, Ecclesiæ Romanæ donat.

Hæ donationes à CAROLO MAGNO confirmatæ & auctæ.

Vera origo temporalis dominii Papæ.

Digitized by Google

plosa sunt. Post hæc, non una in re, gratificatus Romanæ Sedi *Carolus* est; velut cùm Officium Gregorianum, ritúmque psallendi, per Galliam & Germaniam, more Romano fieri præcepit. Tandem, exeunte Sæculô, cùm *Leonem III.* Romanum Pontificem malè factiosi habuissent, Carolus, ad quem confugerat, in Italiam rursùs venit, eúmque in integrum restituit: Cujus in rei mercedem, annô C. 800., ipso Natalis Dominici die, in Basilica D. Petri, à Pontifice Populóque Romano, *Imperator* salutatus est. Fervente lite de Imaginibus, primæ scintillæ erroris Eucharistici ortæ sunt: Cùm enim Patres Constantinopolitani an. 754., inter alia adversùs Imagines, dixissent Christum non aliam sui imaginem nobis reliquisse quàm Eucharistiam, contrà Nicæni an. 787. negârunt hanc Christi imaginem, sed ipsum corpus ipsumque sanguinem esse; Quæ quidem prima tam absurda dogma-

Officium Gregorianum & ritum psallendi Romanum, Carolus M. instituit.

Carolus M. Leonem III. Pontif. Romanum restituit.

Carolus M. Imperator renuntiatus an. 800.

Præsentia realis Corporis X^i. in Euchar. primùm asserta in Conc. Nic. II.

dogmatis adſertio, non aliis meliùs quàm ineptis illis Iconodulis debebatur. Cœptum etiam hoc Sæculo eſt, de proceſſione Spiritûs S. Græcos inter & Latinos diſceptari; Græcis Latinos incuſantibus, quòd vocibus illis Symboli, *qui procedit à Patre*, ipſi propria auctoritate FILIOQUE addidiſſent: Quæ quæſtio, unà cum aliis, magno ac diuturno, Sæculis ſequentibus, inter utramque Eccleſiam, diſſidio anſam præbuit. Denique, ſub hujus finem Sæculi, *Felix* Urgelitanus & *Elipandus* Toletanus, in Hiſpania Epiſcopi, docuerunt Chriſtum, quatenùs hominem, adoptione Dei Filium eſſe: quæ doctrina, tum in Synodo Ratiſponenſi an. 792. tum in Francofurtenſi an. 794. damnata, nihil ampliùs turbarum concivit. Adducti hôc Sæculô ad Chriſti fidem Germanorum non pauci fuêre: qua in re, ſedulam navavit operam *Winfridus* Anglus, dictus poſtea *Bonifacius*, Ar-

De proceſſione Spiritûs S.

Error Felicis & Elipandi.

Germanorum multi ad Chriſtum adducti.

Digitized by Google

Archiepiscopus Moguntinus, qui Vicarius Romanæ Sedis, & Apostolus Germanorum appellatus est. Conversi potissimùm *Saxones* notantur, non tam suasionibus, quàm armis Caroli M.; si tamen verè conversi, qui per vim conversi sunt, dici mereantur. Scriptores Ecclesiastici, pro captu temporum, & bonæ mentis raritate, non incelebres. Inter potissimos, venerabilis *Beda*, cujus inter alia habetur Historia Ecclesiastica gentis Anglorum; *Johannes Damascenus*, magnus Imaginum defensor; qui Libris IV. *de Fide Orthodoxa*, Theologiæ systema complexus est; *Alcuinus*, sive *Albinus*, cujus operâ Carolus M. plurimùm usus est; *Paulus Warnefridi*, vulgò dictus *Paulus Diaconus*, gente Longobardus, cujus & habetur Historia Longobardorum; *Theodulphus* Aurelianensis; *Germanus* Constantinopolitanus, *Andreas* Cretensis; denique omnium illustrissimus *Carolus*

Bonifacius Archi Moguntinus.

Saxonum conversio.

Scriptores Ecclesiastici Sæc. VIII.

Digitized by Google

Ignorantia. *Magnus.* Ignorantiæ hujus ævi hæc è multis specimina sunto; quòd crebris caveatur Canonibus, ut Presbyteri discant legere; quòd baptizaverit nonnemo in nomine *Patria, Filia, & Spiritua Sancta*; de cujus baptismi validitate disceptatum est; quòd *Vergilius* quidam, Presbyter Germanus, ob creditos Antipodas damnatus fuerit. Superstitio. Superstitionis in Imagines, Cruces, Reliquias, aliáque idgenus, tota hujus Sæculi historia perpetuum documentum est.

Summa Capita

SÆCULI IX.

CAROLUS MAGNUS *Ecclesiæ & Literis favet. Moritur an.* 814. LUDOVICUS PIUS *ei succedit.* LEO ARMENUS *Orientis Imp. Imagines damnat. Concilium Constantinopoli, an.* 814. *contra Imagines.* MICHAEL BALBUS *Imp. Imaginum*

cultui

cultui adversus. Concilium Constantinopoli, sub Michaële Balbo, contra Imaginum adorationem. Legatio Michaëlis Balbi ad Ludovicum Pium, & Romanum Pontificem, de Imaginum caussa. Synodus Parisina sub Ludovico Pio, an. 824. *contra Imagines. Doctores Occidentales, præsertim Galli, ab Imaginum cultu abhorrentes.* THEOPHILUS *Imp. Orient. Imaginum cultui adversus.* THEODORA *Imperatrix Imaginum cultum restituit. Concilium Constantinop. pro Imaginibus, an.* 842. *De* Gotteschalco, *& Prædestinatiana Controversia. Gotteschalcus damnatus Moguntiæ an.* 848. *& Carisiaci an.* 849. *Sacerdotio dejectus, & virgis cæsus. Gotteschalci adversarii atque fautores. Concilium Carisiacense alterum, contra Gotteschalcum, an.* 853. *Concilium Valentinum contra capitula Carisiacensia, an* 855. *Sapiens Ecclesiæ Lugdunensis monitum.* Paschasius Radbertus *præsentiam rea-*

 lem

lem docet. Multi ejus ſententiam refellunt. Ratramni *Liber* de Corpore & Sanguine Domini. *Alii Scriptores* à *Paſchaſii ſententia alieni. Diſſidium inter Orientales & Occidentales in cauſſa* Photii. Ignatius *Patriarcha Conſtantinopolitanus depoſitus* , & Photius *electus* , *an.* 858. *Concilium Conſtantinop. an.* 861. *pro Photio.* Nicolaus I. *Photium damnat in Concilio Rom. an.* 862. *Concilium Conſtantinopolitanum an.* 866. *contra Nicolaum Papam. Sub* BASILIO Macedone , *Photius exauctoratur* , *Ignatius reſtituitur* , *an.* 867. *Concilium Conſtantinopolitanum, Latinis Oecumen. VIII. an.* 869. *contra Photium. Novum diſſidium inter Græcos & Latinos de Bulgaria. Photius reſtitutus an.* 878. *Concilium Conſtantinop. Græcis Oecumen. VIII. an.* 879. *pro Photio. Romani Epiſcopi iterùm Photio adverſi. Sub* LEONE Philoſopho, *Photius rurſùs expellitur ac relegatur* , *an.* 886. *Diſſidii*

dii inter Græcos & Latinos continuatio. Capita dissensûs inter Græcos & Latinos. De Johanna *Papissa. Ausa superba Romanorum Pontificum, spec.* Nicolaï I. *&* Hadriani II. *Paparum ausis multi obsistunt. De* Formoso *Rom. Episc. gestisque pro eo & contra eum. Gentes ad Fidem conversæ. Scriptores Ecclesiastici Sæculi IX.* Photii *Bibliotheca & Nomocanon. Pseudo-Decretales veterum Paparum. Probationes criminum ineptæ.*

SÆCULUM IX.

CAROLUS MAGNUS, octingentesimô Christi annô, ut dictum superiùs est, Imperatoris ornatus titulo, Ecclesiæ reíque literariæ favere non destitit; erectis passim Ecclesiis, Scholis fundatis, coactis Synodis, editísque *Capitularibus*, (sic Edicta Regum ac Imperatorum, potissimùm Ecclesiastica, vocabantur) quorum multa ad Ecclesiæ decus, & Disci- CAROLUS MAGNUS Ecclesiæ & Literis favet.

 plinæ

plinæ instaurationem pertinebant. Has inter curas, Aquisgrani diem obiit extremum, an. C. 814. ætatis 71. regni 47. imperii 14. Hæredémque Gallici regni, imperiíque Occidentalis LUDOVICUM PIUM reliquit, qui, turbatissimis licèt rebus, nec unâ filiorum defectione, non pauca etiam de Ecclesiæ rebus constituit. Hujus tempore, LEO ARMENUS, Orientis Imp. Imaginibus adversum se præbuit, Synodúmque Constantinopoli annô labente 814. quâ Nicæna II. damnata est, haberi curavit; Qui autem parére nollent, intérque alios *Nicephorum* Patriarcham, & *Theodorum Studitam*, acerrimos Imaginum defensores, loco movit, atque in exsilium pepulit. Leoni Armeno successit MICHAEL BALBUS, qui quanquam ab Imaginum abhorrens cultu, mitiùs tamen hoc negotium tractavit, revocatis exsulibus, relictâque singulis judicii libertate: Interim ritus superstitiosos, omnémque adeò Imaginum cultum, emendari

Moritur an. 814.

LUDOVICUS PIUS ei succedit.

LEO ARMENUS Imp. Orient. Imagines damnat.

Concil. Constantin. an. 814. contra Imagines.

MICHAEL BALBUS Imp., Imaginum cultui adversus.

Digitized by Google

dari voluit; habitô Conciliô, quo statutum est, ut Imagines nonnisi *in locis sublimioribus collocarentur*, ubi *pictura loco scripturæ esset*, ne scilicèt *ab ignaris atque infirmis adorarentur*, néve *lucernas eis accenderent*, aut *incensum adolerent*. Quinimò misit hac de re Michaël Legatos ad Ludovicum Pium, nec non & ad Romanum Pontificem, qui tum erat *Eugenius II.* ut negotium hoc, communi consensu, in Occidente simul & Oriente, conficeretur. Quæ legatio cùm ad Ludovicum pervenisset, hic *Freculphum & Adegarium* statim Romam misit, qui de negotio illo, juxta Imperatoris Græci sententiam, cum Episcopo Romano agerent. At cùm Romæ nihil proficerent, hoc saltem petierunt à Papa, ut Ludovico liceret, *unà cum suis Episcopis, tantæ rei veritatem familiariter quærere*. Quô impetratô, Ludovicus Pius doctissimos Galliarum Præsules Lutetiam convocat, sub finem an. 824. qui,

Concil. Constantin. sub Michaële Balbo, contra Imaginum adorationem.

Legatio Michaëlis Balbi ad Ludov. Pium, & Rom. Pontif., de Imaginum causa.

Synodus Parisina sub Ludovico Pio, an. 824. contra Imagines.

Digitized by Google

re maturè ponderatâ, epistolam ad Ludovicum & Lotarium scribunt; quâ docent, se nolle quidem auferri Imagines, quod Synodus Constantinopolitana sub Copronymo jusserat, sed & vicissim à superstitiosa earum adoratione, qualis Nicææ statuta fuerat, abhorrere; cujus *superstitionis pestis*, sic ipsi loquuntur, *partim ignorantia, partim pessimæ consuetudinis usu*, in Ecclesia Romana *inoleverat*. His acceptis, Ludovicus Pius novos Legatos Romam mittit, *Jeremiam* nempe Senonensem, & *Jonam* Aurelianensem Episcopos, qui Præsulum Gallorum sententiam Pontifici renuntient, ejúsque consensum, ad rem cum Græcis conficiendam, postulent. Verùm quis fuerit, tum legationis illius ad Papam, tum alterius ad Imperatorem Græcum, successus, ignoratur. Hoc certum, viros doctissimos illius ætatis, in Gallia præsertim, putà *Agobardum* Lugdunensem, *Claudium* Taurinensem, *Jonam* Aurelianensem, *Hincmarum* Rhe-

Doctores Occidentales, præf. Galli, ab Imaginum cultu abhorrentes.

Rhemensem, *Amalarium*, *Dungalum*, aliósque, à colendis Imaginibus penitùs abhorruisse; nec nisi serò, ac post plura Sæcula, cultum illarum in Galliam Germaniámque introductum esse. In Oriente pariter, tum sub Michaele Balbo, tum sub filio ejus Theophilo, cultus proscriptus Imaginum fuit. At, mortuô Theophilô, an. 842. filiôque Michaele adhuc impubere, Theodora hujus mater, quæ Imperium administrabat, ad restituendas Imagines statim se accinxit; pulsô *Johanne* Patriarchâ, qui Imaginibus adversabatur, electôque qui eis faveret *Methodiô*; simúlque habitô Conciliô, quô Imaginum cultus, haud ampliùs in Oriente abolendus, definitus est: Ut pateat, muliebri ineptiæ, *Irenes* quidem primùm, tum & istius *Theodoræ*, superstitiosas illas sanctiones acceptas referendas esse. Post hanc litem, alia non una Ecclesiam, cùm Occidentalem, tum Orientalem, exercuit.

Theophilus Imp. Imaginum cultui adversus.

Theodora Imp., Imaginum cultum restituit.

Concil. Constant. pro Imaginibus, an. 842.

De Gotteschalco, & Prædestinatiana Controversia.

cuit. *Gotteschalcus*, Orbacensis in diœcesi Suessionensi Monachus, cùm Augustinianam de Prædestinatione sententiam, crudiùs quàm fieri solebat, proponeret, negans velle Deum omnes salvos fieri, docénsque alios à Deo prædestinatos ad vitam, alios prædestinatos ad interitum, adeóque illos damnari, hos servari non posse, in gravissimas, non censuras modò, sed & pœnas, incurrit; primùm quidem damnatus à *Rabano Mauro*, Archiepiscopo Moguntino, & Concilio Moguntiæ habito, an. 848. deinde & ab *Hincmaro* Rhemensi, *Rhotado* Suessionensi, aliísque ejusdem diœceseos, in Concilio Carisiacensi, an. 849. ubi & sacerdotio exutus, virgis cæsus, ac Monasterio inclusus fuit. Quô tamen judiciô, neque ille à sententia dimotus, neque controversiæ finis allatus est. Plurimi quippe Viri docti illorum temporum circa hanc materiam stylum strinxerunt; alii quidem contra Gotteschalcum, ut *Rabanus*

Gotteschalcus damnatus Moguntiæ an. 848.; & Carisiaci, an. 849. Sacerdotio dejectus, & virgis cæsus.

Gotteschalchi ad-

Digitized by Google

banus Maurus, *Hincmarus* Rhemensis, *Amulo* Lugdunensis, *Johannes Scotus Erigena*, & Carisiacensis Synodus altera, an. 853.; alii pro Gotteschalco, vel eum saltem excusantes, aut ad eum accedentes, ut *Ratramnus* Monachus Corbeïensis, *Prudentius* Tricassinus Episcopus, *Remigius* Lugdunensis, *Florus* Diaconus, *Lupus Servatus* Ferrariensis Abbas, & Concilium Valentinum an. 855., quô Augustini doctrina sancita, & Carisiacensia capitula rejecta sunt. Qua quidem in lite, aliisque similibus, ut id obiter observemus, sæpissimè de vocibus, potiùs quàm de rebus, disceptatum est: vel, si quod fuit in rebus dissidium, profectò tanti non erat, ut Ecclesiæ pax turbaretur, séque alii alios hæreticorum loco haberent, quemadmodum ab Ecclesia Lugdunensi, in sua Carisiacæ Synodi censura, sapienter monitum est. Alii Controversiæ, circa eadem tempora, ansam præbuit *Paschasius Radbertus*,

versarii atque fautores.

Concil. Carisiac. an. 853. contra Gotteschalcum.

Concil. Valentin. an. 855. contra capit. Carisiac.

Sapiens Ecclesiæ Lugdunensis monitum.

Digitized by Google

Paschasius Radbertus præsentiam realem docet.

bertus, Corbeïensis in Picardia Cœnobii primùm Monachus, deinde & Abbas, scriptô Librô *de Sacramentô Corporis & Sanguinis D. N. J. C.*; quô cùm doceret, eandem Christi carnem, quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit, non in figura, sed verè ac realiter in Sacramento adesse, non potuit non sententia illa, ut à Ratione & Scriptura, ita & ab Antiquitate planè abhorrens, rejici à multis atque improbari. Certè adversus illam scripsêre *Rabanus Maurus*, *Johannes Scotus Erigena*, omnium verò princeps *Ratramnus*, sive *Bertramus*, Monachus Corbeïensis, qui consultus hac de quæstione ab Imperatore CAROLO CALVO, Librum *de Corpore & Sanguine Domini*, huic Principi inscriptum emisit; quô novitiam Paschasii sententiam, quanquam suppressô illius nomine, ita adgreditur atque refellit, ut pateat, Pontificios, qui vel aliam ei affingunt mentem, vel eum librum Ratramno

Multi ejus sententiam refellunt.

Ratramni Liber de Corpore & Sanguine Domini.

abju-

abjudicant, miserè vitilitigari atque operam perdere. Sed nec alii Scriptores desunt, hac ætate celeberrimi, qui de Eucharistia aliter planè quàm Paschasius sentire videntur, ut *Hatto* Episcopus Basileensis, *Heribaldus* Altissiodorensis, *Amalarius* Diaconus Metensis, *Walafridus Strabo*, *Drutmarus*, *Florus* Diaconus, aliique; Paschasiúmque omnium primum, de hoc argumento, juxta genuinum hodiernæ Ecclesiæ Romanæ sensum scripsisse, à *Bellarmino* & *Sirmondo* ingenuè agnoscitur. Verùm litem nullam graviorem nec diuturniorem vidit hæc ætas, eâ quæ Græcos inter & Latinos, in causa *Photii*, excitata est. Scilicèt, imperante *Michaële* Theophili filiô, cùm *Ignatius* Constantinopolitanus Patriarcha, Bardæ Cæsaris auctoritate, loco motus esset; *Photius* verò, vir doctissimus, & Politicis muneribus clarus, in ejus locum subrogatus, an. 858., illúdque judicium in Concilio Constantinopolitano an. 861., præsenti-

Alii Scriptores à Paschasii sententia alieni.

Dissidium inter Orientales & Occid. in causa *Photii*.

Ignatius Patriar. Constant. depositus, & Photius electus an. 858.

Concil. Constantin. an. 861. pro Photio.

bus

bus ac ſubſcribentibus Romanæ Sedis Legatis, confirmatum eſſet, *Nicolaus I.* Rom. Epiſc., vir ſupra modum ſuperbus, & proferendæ ſuæ Sedis auctoritati unicè intentus, ab Ignatio interpellatus, hujus partes ſuſcepit; habitôque Romæ Conciliô an. 862. Photium cum omnibus adſeclis damnavit. Hinc literæ acerbiſſimæ, tum Michaëlis Imp. ad Nicolaum, tum Nicolaï ad Michaëlem; nec non & Concilium Conſtantinopoli à Photio habitum, an. 866., quô Nicolaus viciſſim damnatus, & anathemate percuſſus eſt. Inter hæc, magna fit rerum in Oriente converſio, BASILIO MACEDONE Imperium adeptô, an. 867., à quo ſtatim Photius depoſitus, Ignatius reſtitutus eſt: Quod judicium ut eſſet ſolemnius, Concilium Conſtantinopoli ab Imperatore convocatum eſt, an. 869., quod Oecum. VIII. apud Latinos numeratur, quô, præſentibus imò & præſidentibus Epiſcopi Romani Legatis, qui

Nicolaus I. Rom. Ep. Photium damnat in Concil. Rom. an. 862.

Concil. Conſtant. an. 866. contra Nicolaum Papam.

Sub BASILIO Maced. Photius deponitur, Ignatius reſtituitur, an. 867.

Concil. Conſtant., Latinis Oecum. VIII. an. 869. contra Photium.

qui tum erat *Hadrianus II.*, Photii abdicatio, Ignatii verò restitutio confirmata est: Quo in Concilio, id singulare fuisse memorant, quòd ei non nudo atramento, sed tinctis calice Eucharistico pennis subscripserint. Et tunc quidem pax Græcam inter & Latinam Ecclesiam erat: Verùm illa brevis ævi fuit; Etenim, eô ipsô tempore, novum rursùs inter utramque de Bulgaria dissidium exarsit; cujus Ecclesias dum Patriarcha Constantinopolitanus sui juris esse contenderet, contrà Romani Episcopi vehementer intercessêre; utque illas suæ Sedi subjicerent, nihil omisêre. Dum hæc ita essent, mortuô Ignatiô, an. 878., Photius restituitur; non invitô *Johanne VIII.* Rom. Episc., qui eum statim pro legitimo Patriarcha habuit; unde & Concilio Constantinopolitano sub Photio habito an. 879., Græcis Oecumenico VIII., Papæ Legati interfuerunt. At brevi pòst, mutatâ sententiâ, Johannes rursùs in Photium

Novum dissidium inter Græcos & Latinos de Bulgaria.

Photius restitutus an. 878.

Concil. Constant. Græcis Oecum. VIII pro Photio, an. 879.

Digitized by Google

Romani Episcopi iterùm Photio adversi.

tium insurgit; missôque Constantinopolim *Marinô*, se gesta priùs contra Photium antiquare nolle declarat; qui Marinus ab Imperatore in carcerem conjectus est; mox liberatus, Romámque reversus, mortuô Johanne Papatum obtinuit, Photiíque damnationem confirmavit. Sexennio pòst, Basilio Imperatori fatis functo successit filius ejus LEO PHILOSOPHUS, qui Photium iterùm exauctoravit, atque in Armeniam relegavit, ubi non multò pòst mortuus est. Verùm ne sic quidem vulnus inter utramque Ecclesiam diductum coaluit: Cùm enim Romani Pontifices, Photio dejecto non contenti, eos omnes præterea, quos Photius ordinaverat, deponi vellent, id pati Græci noluêre: Hæcque caussa, unà cum variis circa doctrinam ac ritus dissidiis, ei ortum dedit Schismati, quod ad hunc usque diem perdurat. Capita dissensûs (præter caussam Photii, & rem Bulgarorum) isthæc memorantur:

Sub LEONE Philos. Photius rursùs expellitur ac relegatur. an. 886.

Dissidii inter Græcos & Latinos continuatio.

Capita dissensûs inter Græcos & Latinos.

I. de

1. de processione Spiritûs Sancti; 2. de jejunio Sabbathi, Romæ usitato; 3. de duratione jejunii quadragesimalis; 4. de barbis Sacerdotum Latinorum rasis; 5. de lege Cœlibatûs; 6. de chrismatione frontis in Baptismo; 7. de Diaconis ad Episcopatum admissis; 8. de aquæ communis, loco chrismatis, usu; 9. de agno consecrato in Festo Paschali; 10. de primatu Ecclesiæ Romanæ. Quid verò, de his aliisque, actum postea fuerit, suo quidque loco narrabimus. Ad hujus Sæculi medium pertinet celebris illa *Johannæ Papissæ* historia, dicam an fabula, quæ, sub nomine *Johannis VIII.*, inter *Leonem IV.* & *Benedictum III.* interjicitur: Quæ quidem narratio à quampluriinis Romanarum partium Scriptoribus, iisque non obscuris atque é tririo, sed muneribus & fama conspicuis, Monachis, Episcopis, Archiepiscopis, per quingentos fermè annos ante Reformationis ævum, tradita literis & credita apparet;

De Johanna Papissa.

paret; ſed quam tamen, veri ſtudio ducti, cum Chronologicis Hiſtoricíſque rationibus ſtare non poſſe ingenuè agnoſcimus. Utinam certiora non eſſent, quæ de Romanorum auſis Pontificum, ſpeciatim de *Nicolao I.* & *Hadriano II.*, omnia ad ſe trahentibus, Canones poſthabentibus, Acta Synodorum pro lubitu reſcindentibus, Epiſcopos per totum Orbem inſtituentibus ac deſtituentibus, cum Regibus atque Imperatoribus ſuperbiſſimè ſe gerentibus, hoc Sæculo memorantur. Verùm non deerant, cùm in Oriente, quemadmodum jam vidimus, tum etiam in Occidente, qui auſis illis ſtrenuè obſiſterent; in Gallia quidem præ cæteris *Hincmarus* Rhemenſis, cui Gallicana Eccleſia hoc nomine plurimùm debet; in Germania quoque non pauci, ut *Guntherius* Colonienſis & *Theutgaudus* Trevirenſis Archiepiſcopi, qui cùm depoſiti à *Nicolao* & excommunicati eſſent, diras illas in ipſius caput vividiſſimo

Auſa ſuperba Romanorum Pontificum, ſpec. *Nicolaï I.* & *Hadriani II.*

Paparum auſis multi obſiſtunt.

reſponſo

responsô retorserunt. Sub extrema Sæculi, *Formosus*, ex Portuensi Romanus factus Episcopus, ambiguæ admodum apud successores famæ fuit: Mortui siquidem cadaver, jussu *Stephani VI.*, tumulo extractum, sacrísque exutum vestibus, ac tribus digitis mutilatum, in Tiberim projectum est: Quæ Acta postmodùm à *Johanne IX.*, aliísque Papis, rescissa sunt. Suecis ac Danis, curâ *Anscharii* Hamburgensium & Bremensium Episcopi; Sclavonicis gentibus, Bohemis præsertim atque Moravis, curâ *Constantini* atque *Methodii*; Bulgaris, rege *Bogori*, ac præcone ipsius sorore, Christiana Fides innotuit; sed, ut erant tempora, superstitionibus erroribúsque inquinata. Non defuisse, hac ætate, claros, pro temporum captu, Scriptores, cùm in Oriente, tum in Occidente, ex narratis abundè liquet. Inter Græcos, doctrinâ, labore, criticâque etiam solertiâ, omnium facilè Princeps *Photius*, teste ejus Μυριοβίβλῳ seu

De *Formoso* Rom. Episc. gestisque pro eo, & contra eum.

Gentes ad Fidem conversæ.

Scriptores Ecclesiastici Sæc. IX.

Photii Bibliotheca, & Nomocanon.

Digitized by Google

ſeu *Bibliotheca*, quâ 280. veterum Scriptorum, magna jam parte deperditorum, excerpta nobis ſervavit, & *Nomocanone*, ſeu Canonum Eccleſiaſticorum collectione, variiſque Epiſtolis. In Latinis, præter memoratos, *Eginartus*, *Anaſtaſius* Bibliothecarius, *Ado* Viennenſis: &c. Extollendis Pontificum juribus, hôc Sæculô fabricatæ ſunt, certè hôc Sæculô primùm productæ, veterum Pontificum *Pſeudo-Decretales*, quæ ſub *Iſidori Mercatoris* nomine veniunt. Probationes per aquam frigidam, vel ferrum candens, vel ſingulare certamen, vel alia ejuſdem generis, non ultimum, inter hujus Sæculi ineptias, locum merentur.

Pſeudo-Decretales veterum Paparum. Probationes criminum ineptæ.

Summa Capita

SÆCULI X.

Decimi Sæculi facies horrida. Romani Pontifices ſceleſtiſſimi. Acta pro

pro & contra memoriam Formosi. *Papæ se mutuò expellentes. Meretrices Romæ dominantes.* Sergius *III.* Lando. Johannes *X.* Hugo, *puer quinquennis, in Archiepiscopum Rhemensem electus.* Johannes *XI.* OTHO Magnus *Imp. Johannis XII. scelera.* Johannes *XII. &* Leo *VIII. simul Papæ.* Leo *VIII. &* Benedictus *V. simul Papæ. Leonis VIII. decretum memorabile in gratiam Imperatoris.* Johannes *XIII. à Romanis expellitur, ab Othone restituitur.* Benedictus *VI. strangulatus à* Bonifacio VII. *qui & fame enecat* Johannem *XIV.* Gregorius *V.* Johannes *XV. Antipapa.* Sylvester *II. antea* Gerbertus *dictus. De quartis Nuptiis* LEONIS PHILOSOPHI *Imperatoris. De* Theophylacto *Constantinopolitano Patriarcha indigno. De* Arnulpho *Archiepiscopo Rhemensi. De divortio* Roberti *Francorum Regis &* Bertæ. *Conversiones ad Christianam Fidem, Normannorum, Danorum,*

Digitized by Google

Polonorum, & Moschorum. Summa hôc Sæculô ignorantia & morum depravatio. Errorum ac Superstitionum progressus. Baptismus campanarum. Canonizationis Sanctorum origo. Probationes criminum ridiculæ. Ordo Cluniacensis institutus, an. 910. Scriptores Ecclesiastici Sæculi X.

SÆCULUM X.

Decimi Sæculi facies horrida.

SÆculi decimi ita horrida deformísque facies fuit, ob tetram ignorantiam, moréſque perditiſſimos, ut *obſcurum* atque *infelix*, *ferreum* & *plumbeum* vulgò appelletur.

Romani Pontifices ſceleſtiſſimi.

Certè plurimos Romanorum Pontificum, non homines fuiſſe, ſed monſtra, adeò in omne libidinum ac ſcelerum genus ruebant, apud omnes, etiam cauſſæ Pontificiæ addictiſſimos; in confeſſo eſt. Nam,

Acta pro & contra memoriam Formoſi.

ut res *Formoſi* mittamus, cujus memoria à *Stephano VI.* damnata, à *Johanne IX.* reſtituta, à *Sergio III.*

qui

Digitized by Google

qui Formoſi quondàm æmulus fuerat, nigro iterùm calculo notata; ut mittamus etiam Pontifices quoſdam, non ambitu modò, occultíſque artibus, ſed apertâ vi ſeſe expellentes, *Leonem V.* quadrageſimô Pontificatûs die à *Chriſtophoro* in vincula conjectum, *Chriſtophorum* non multò pòſt à *Sergio* expulſum, atque in monaſterium truſum; quis ignorat, illis temporibus, imò & magna hujus Sæculi parte, impudentiſſimas meretrices, *Theodoram* matrem, & *Maroſiam* ac *Theodoram* filias, maximam Romæ totâque Italiâ auctoritatem habuiſſe, adeò ut res Eccleſiæ pro lubitu adminiſtrarent, Epiſcopatus quibus vellent adſignarent, denique ad ipſum Papatûs culmen, ſuos clientes, amaſios, filióſque nothos, eveherent? Et ex Maroſia quidem *Sergius III.* filium habuit, qui & poſtmodùm Papa fuit Johannes XI. Haud multò pòſt, à *Landone* Pontifice Theodora obtinuit, ut Johannes quidam

Papæ ſe mutuò expellentes.

Meretrices Romæ dominantes.

Sergius III.

Lando.

ipſius amaſius, primò Bononienſis Epiſcopus, deinde & Ravennatenſis Archiepiſcopus crearetur; qui, & mox, mortuô Landone, ejuſdem favore mulieris Papa creatus eſt, dictúſque *Johannes X.* Is rei bellicæ quàm religionis ſtudioſior fuit, & ad bellum contra Saracenos Italiæ moleſtos proceſſit: Verùm, quem meretrix promoverat, eum altera meretrix dejecit, Maroſia nempe, ejúſque maritus Wido, Marchio Tuſciæ; quorum juſſu, in vincula conjectus, & faucibus cervicali occluſis ſuffocatus eſt. His temporibus, quàm nulla fuerit Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio, vel ex hoc æſtimare licet, quòd in puerum necdùm quinquennem, *Hugonem* nempe Heberti Comitis Veromanduorum filium, Archiepiſcopatus Rhemenſis collatus ſit; rem adprobantibus, tum Rege Gallorum, tum etiam Johanne Papa: Quæ tamen electio magnis poſtmodùm tumultibus anſam præbuit. Aliquot pòſt annis, Maroſia,

Johannes X.

Hugo, puer quinquennis, in Archiep. Rhemenſem electus.

rosia, pro absoluta quâ pollebat auctoritate, pudendum illum filium, quem ex Sergio Papa susceperat, nonnisi 24 vel 25 annos natum, Papam instituit; qui se dixit *Johannem XI.* Sed Albericus, filius & ipse Marosiæ, Hugoni Italiæ Regi, cui Marosia Widone mortuô nupserat, infensus, hunc quidem Roma expulit, Marosiam verò matrem, fratremque uterinum Johannem Papam, in carcerem conjecit; ubi iste post aliquot annos mortuus est. Verùm omnium, quos hæc ætas tulit, indignorum Pontificum, turpitudinem atque infamiam superavit *Johannes XII.* dictus antè *Octavianus*, Alberici filius, & Marosiæ nepos, annô ætatis 17. vel 18. quidam & dicunt 12. ad Pontificatum evectus. Is, cùm OTHONI Germaniæ Regi (cui *Magno* inditum cognomen) solemni sacramento sese obstrinxisset, imò & coronam Imperatoriam ei imposuisset, statim digresso Othone, rebellis in eum ac perjurus fuit. Quam-

Johannes XI.

Johannes XII.

OTHO MAGNUS Imp.

obrem reversus Otho, Concilium Episcoporum Romæ coëgit, in quo nefarius ille Pontifex, cùm citatus haud compareret, immanium postulatus scelerum, putà libidinum, incestuum, crudelitatum, sacrilegiorum, fidem omnem superantium, denique perjurii ac perduellionis, Pontificatu dejectus est, ejúsque loco substitutus *Leo VIII.* Cui judicio, quanquam justissimo, Romani tamen non subscripsêre; sed pòst Othonis discessum, Leone expulsô, Johannem, qui largitionibus amicos sibi pepererat, revocârunt: At is divinam non diu effugit ultionem; nam brevi pòst cum adultera in lecto deprehensus, ictu ad tempora inflicto necatus est, an. 964. Extinctô illô, nihil veriti Imperatorem Romani, Leonem omittere pergunt, novúmque Pontificem *Benedictum V.* sibi creant: Verùm, obsessâ ab Othone Româ, Romanísque fame ad deditionem adactis, Benedictus Papatu cessit, rediítque *Leo VIII.* Qui,

Johannis XII. scelera.

Johannes XII. & *Leo VIII.* simul Papæ.

Leo VIII. & *Benedictus V.* simul Papæ.

Digitized by Google

Qui, partim gratô in Othonem animô, partim præteritorum experientiâ ac tædiô tumultuum, Othoni ejúſque ſucceſſoribus, jus eligendi ſucceſſorem in Regno Italiæ, & confirmandi Romanum Pontificem, dandæque Epiſcopis inveſtituræ, ſolemni Decreto conceſſit: Exſtat Decretum hoc apud Gratianum; cui & aliud ab Hiſtoricis quibuſdam adjungitur, de redditis Imperatori ditionibus omnibus, quas Pipinus, Carolus M. vel alii Principes, Eccleſiæ Romanæ donaverant. Quidquid ſit, mortuô Leone, conſultôque circa ſucceſſoris electionem Imperatore, *Johannes* Narnienſis Epiſcopus in Pontificem eligitur; qui cùm duriùs Romanos haberet, ab iis in carcerem truditur, deinde in Campaniam relegatur; donec reverſus in Italiam Otho revocari Johannem curavit, ejúſque expulſores Romanos Magiſtratus pœnis affecit. In ſequentibus, *Benedictum VI.* ſtrangulari curat *Bonifacius VII.*, Ro-

Leonis VIII. decretum memorabile in gratiam Imperatoris.

Johannes XIII.

A Romanis expellitur.

Ab Othone reſtituitur.

Benedictus VI. ſtrangulatus

Digitized by Google

à Bonifacio VII. qui & fame necat

Romanámque invadit sedem: At cùm Romanos parùm sibi faventes haberet, expilatis Ecclesiæ thesauris, Constantinopolim se recipit; ejúsque loco *Benedictus VII.* sufficitur, huic *Johannes XIV.* quem Bonifacius redux comprehensum fame enecat; ipse pòst paullò mortuus; cùmque exosus omnibus esset, ejus cadaver à plebe per vicos tractum, lanceísque confossum, vix tandem à suorum quibusdam sine honore terræ mandatum est. Sub extrema Sæculi, *Bruno*, Sueviæ ducis filius, Othonis M. ex filia pronepos, in Pontificem eligitur, noménque assumit *Gregorii V.* Is expulsus à Crescentio, qui se Romæ dominum gerebat; eíque *Johannes XV.* subrogatus. Sed redux Imperator Crescentium suo cum Papa in vincula conjicit, Gregoriúmque restituit. Tandem, hoc defuncto an. 999. *Gerbertus*, primò Rhemensis, deinde Ravennatensis Archiepiscopus, Romanæ Sedi admovetur, assumptô *Syl-*

Johannes XIV.

Gregorius V.

Johannes XV. Antipapa.

Silvester II. antea *Gerbertus* dictus.

Digitized by Google

Sylveſtri II. nomine; vir ſupra Sæculi captum eruditus, atque ob Matheſeos peritiam Magiæ inſimulatus; qui cùm multa liberè admodum contra Romanam Eccleſiam dixiſſet, dum Rhemenſis Antiſtes eſſet, factus Papa ſtylum mutavit, atque in extollendo ſuæ Sedis culmine haud ſegnis fuit. Et hæc quidem de Romana Eccleſia: Apud cæteras, vix quidquam memoria dignum occurrit. Ineunte Sæculô, LEO PHILOSOPHUS, Orientis Imp. cùm ex tribus quæ ipſi fuerant uxoribus filium nullum ſuſcepiſſet, maſculæ prolis deſiderio quartam *Zoën* nomine duxit: At, cùm quartæ nuptiæ Canonibus Orientalium Eccleſiaſticis prohiberentur, huic conjugio *Nicolaus* Patriarcha adverſatus eſt; cúmque precibus nihil promoveret, Imperatorem à ſacris removit. Imperator vice versâ Nicolaum exauctoravit, atque in exſilium pepulit, ejúſque loco *Euthymium* conſtituit. Mortuô Leone, Eu-

De quartis Nuptiis LEONIS PHIL. Imp.

Euthymius ejectus, Nicolaus restitutus est; novôque decretô, quartæ nuptiæ, imo & secundæ ac tertiæ damnatæ sunt. Mediô Sæculô, *Theophylactus*, ROMANI Imperatoris filius, vix sedecim natus annos, Patriarchatum Constantinopolitanum præter meritum adeptus, indignissimè gessit, sacra omnia vendens, nec nisi equis ac venationibus deditus; adeò ut narrent, eum aliquando, die solemni Cœnæ Dominicæ, magnæ quintæ antepaschalis, (h. e. die Jovis ante Pascha) cùm ipse in Pontificalibus sacris operaretur, nuntiatô equæ quam deperibat partu, solemnia abrupisse Sacra, ut ad equæ partum accurreret, mox conspectô pullô ad absolvenda Sacra rediisse. Apud Gallos, sub Sæculi finem, duæ lites non ignobiles in Ecclesia visæ sunt. Altera circa *Arnulphum*, Archiepiscopum Rhemensem, Lotharii regis ex concubina filium, adeóque ex posteris Caroli M., qui cùm perduellionis adversus

De *Theophylacto* Constantinopol. Patriarcha indigno.

De *Arnulpho* Archiep. Rhemensi.

Hugo-

Digitized by Google

Hugonem Capetum, traditæque Carolo Lotharingo patruo suo Rhemorum urbis insimularetur, à Concilio Episcoporum suæ provinciæ exauctoratus est, *Gerbertus* verò in ejus locum suffectus: Verùm judicio illi, utut Canonico, Romani Pontifices *Johannes XV.* & *Gregorius V.* intercessêre; quorum auctoritate, summotô Gerbertô, Arnulphus restitutus est: Et hac quidem occasione Gerbertus, (is qui postmodùm fuit Papa *Sylvester II.*) vividè admodum contra Ecclesiam Romanam scripsit, quemadmodum suprà notavimus. Alterum negotium, fuit de conjugio *Roberti* Francorum Regis cum *Berta*; quod ob rationem consanguinitatis, quanquam nonnisi consobrinorum liberi essent, à *Gregorio V.* Pontifice diremptum est: Quippe gradus prohibiti, jam inde ab aliquot Sæculis, ultra divini præscripti formulam latissimè extendebantur. Christiana Fides, sed Sæculi nævis erroribúsque inquinata, apud Boreales

De divortio *Roberti* Francorum Regis & *Bertæ.*

Conversiones ad Christia-

nam Fidem, Normannorum, les præsertim gentes, hâc ætate disseminata est. *Normanni*, duce *Rollone*, Christiani fiunt, sacrísque abluuntur undis, an. 912.; impulsore *Carolo Simplice* Gallorum rege, qui eâ lege Gislam filiam Rolloni uxorem dat, additâ dotis loco eâ provinciâ, quæ exinde *Normanniæ* nomen accepit. Danorum, *Dani* pariter, *Haraldo* rege, cùm ab Othone M. Germaniæ rege victi essent, in victoris sacra transitum fecêre, an. 948. Verùm, triginta duobus pòst annis, Haraldi filius *Sueno* in patrem rebellavit, Ethnicismúmque restituit; Haraldúsque, coronâ simul ac vitâ amissâ, martyribus adscriptus est. Polonorum, & Moschorum. *Polonorum* dux *Micislaus*, suasu *Dobrawæ* uxoris; dux & *Moschorum* seu *Russorum Vlodimirus*, *Annæ* seu *Helenæ* conjugis hortatu, Christianos adoptant ritus, eósque à subditis admitti curant. Apostoli gentium illarum, *Adaldagus* Bremensis Antistes, *Adalbertus* Magdeburgensis, & *Adalbertus* Pragensis,

ſis, præ cæteris commemorantur. Haud aliô Sæculô, minùs doctrinæ, aut plus vitiorum, fuit. Dicas, ſopore quodam conſtrictos animos; quô factum, ut jacerent literæ, exſtingueretur induſtria, nec niſi ad inania, imò & turpia, impetus eſſet. Clericorum plurimi, alia longè omnia, quàm quæ ſui muneris erant, curabant: fœdæ libidini, turpi lucro, aliiſque indulgebant vitiis: nec pietatem modò & virtutem, ſed & pudorem ipſum ejurâſſe videbantur. Tantis in tenebris, haudquaquam mirum eſt, ſi pullulaverint in agro Domini zizania, errorúmque ac ſuperſtitionum auctior indies factus numerus ſit. Ergo feſtis, peregrinationibus, imaginibus, reliquiis, jejuniis, nec modus ampliùs, nec finis erat. Cœptæ baptizari campanæ, auctore Johanne XIII. Cœpta & Sanctorum Canonizatio, *Udalricô* Auguſtanô Epiſcopô, à Johanne XV. aliiſque Epiſcopis in Divos relatô. Nihilque crebrius, totô hôc Sæ-

Ignorantia & morum depravatio ſumma hoc Sæculo.

Errorum ac Superſtitionum progreſſus.

Baptiſmus campanarum.

Canonizationis Sanctorum origo.

Probationes criminum ridiculæ.

Sæculô, ridiculis illis probationum ritibus, per singulare certamen, ferrum candens, aliáque, quæ *Judicium Dei*, aut voce Saxonicâ *Ordalium* dicebantur. Florebat & hac ætate vita Monastica, strictior alibi, alibi remissior: atque Ordo Cluniacensis, auctore *Bernone*, successoribus præ cæteris *Odone* atque *Odilone*, in Burgundis institutus est. Rari Scriptores hôc Sæculô, non tamen nulli: In Oriente, *Simeon Metaphrastes*, fabulosissimus consarcinator vitæ Sanctorum: In Ægypto, *Eutychius*, Patriarcha Alexandrinus, Annalium Arabicorum scriptor: In Occidente, *Flodoardus*, *Aimoinus*, *Witikindus*, *Luitprandus*, historici; *Ratherius* Veronensis, *Ælfricus* Anglus, aliíque.

Ordo Cluniacensis institutus, an. 910.

Scriptores Ecclesiastici Sæc. X.

Summa

Summa Capita

SÆCULI XI.

Status Ecclesiæ Sæculi undecimi. Sylvester II. *Papa.* Sergius IV. Benedictus VIII. Johannes XVIII. Benedictus IX. *puer decennis vel duodecennis.* Benedictus IX. Sylvester III. *&* Gregorius VI. *simul.* Leo IX. *Dissidium inter Ecclesias Græcam & Latinam. Epistola* Michaëlis Cerularii *Patriarchæ Constantin. contra Latinos, an.* 1053. *Epistola Leonis IX. ad Michaëlem Cerularium. Scriptores utriusque partis. Literæ Imperatoris Græci & Michaëlis Cerularii ad Leonem IX. Legati à Leone IX. Constantinopolim missi, ejúsque literæ ad Imperatorem & Patriarcham. Legati Romani Michaëlem Cerularium excommunicant. Controversia Berengariana de Eucharistia. Quis fue-*

rit Berengarius, *& quænam ejus sententia. Ejus Discipuli & Adversarii. Concilia in quibus damnatus est. Formula Berengario imposita in Concilio Romano an.* 1059. *Berengarius ad pristinam sententiam redit. Iterùm damnatur & ad ejurandam sententiam adigitur. Sed mentem non mutat. Moritur an.* 1088. *De* Gregorio VII. *antea* Hildebrando *dicto. Ejus dissidia cum* HENRICO IV. *Imperatore. Decretum Gregorii VII. contra Clericos simoniacos & concubinarios. Investituras à Principibus datas, & conjugia Clericorum, damnat. Episcopi à Gregorio excommunicati, ab Henrico verò protecti. Conventus Wormatiæ an.* 1076. *contra Gregorium VII. Gregorius VII. Henricum excommunicat, & regno dejicit. Conventus Triburiæ contra Henricum. Henrici iter in Italiam, ut absolutionem à Papa impetret. Quàm indignè à Papa excipiatur. Duræ leges Henrico impositæ.*

positæ. Pax inter Henricum & Gregorium non diuturna. Rodolphus *Sueviæ dux in Germanorum Regem electus; ab Henrico victus & occisus, an.* 1080. *Guibertus, seu* Clemens *III. Antipapa. Gregorius Roma fugatus & mortuus an.* 1085. *Gregorius VII. Monarchiæ Universalis usurpator. Dictatus Gregorii VII. Schismatis continuatio post Gregorium VII. Bellum Sacrum à Crucesignatis susceptum, hortatu Urbani II. & Concilii Claromontani an.* 1095. *Principes Crucesignati. Capta Hierosolyma an.* 1099. *cujus Rex creatus* Gothofredus Bullioneus. Philippus *Galliæ Rex ob* Bertæ *divortium à Papa excommunicatus.* S. Stephanus, *primus Hungariæ Rex.* S. Casimirus *ex Monacho Cluniacensi Rex Poloniæ. Scriptores Ecclesiastici Sæculi XI. Theologia subtiliùs tractari cœpta.* Theophylactus *Bulgar. Archiep.* Fulbertus. Ivo. Petrus Damiani. Lanfrancus. Anselmus. *Historici*

Græci & Latini. Michaël Psellus. *Cultus divinus linguâ Populo ignotâ. Officium Romanum passim receptum. Ludicra pugna hac de re in Hispania. Superstitionum incrementa. Veteris Disciplinæ extinctio. Tyrannidis Papalis fastigium. Cardinalium dignitas aucta. Novi Ordines Monastici. Cœlibatus Clericorum severissimè imperatus. Origo* Patarinorum. *Testes veritatis in Italia & Gallia.*

SÆCULUM XI.

Status Ecclesiæ Sæc. XI.

HAud multò sanior, hâc ætate, Ecclesiæ status, quàm superiori, fuit; siquidem firmati sunt errores crassissimi, novis auctibus crevit Superstitio, ausáque Romanorum Pontificum, cùm in universas Orbis Ecclesias, tum adversùs Reges ac Imperatores, modum omnem excessêre. Sedebat, ineunte Sæculô, is de quo jam diximus *Sylvester II.* antea *Gerbertus* dictus; primò Rhemensis,

Sylvester II. Papa.

mensis, deinde Ravennatensis, denique Romanus Episcopus; qui, pro ea quâ pollebat apud OTHONEM III. Imperatorem gratia, ab eo non una donatione augeri Ecclesiam Romanam curavit. Eundem Pontificem, occasione dissidii cujusdam, inter *Vidonem* Comitem Lemovicensem, & *Grimoaldum* ejusdem Urbis Episcopum, superbam hanc atque inhumanam tulisse Legem ferunt, ut quicumque Episcopum captivâsset, ab equis indomitis discerperetur. Quibusdam interjectis, Papa fuit *Sergius IV.* antea *Os porci* dictus, qui, ut nominis aboleret turpitudinem, non ipse modò nomen mutavit, quod à multis jam factitatum, sed &, de mutando deinceps à Pontificibus nomine, tulisse Legem fertur. Post hunc Papam, exortum Schisma est inter *Benedictum VIII.* Tusculani Comitis filium, & *Gregorium* quendam qui ab aliis electus fuerat: Verùm Benedictus, parentis auctoritate, & Henrici Imp. patrocinio, superior

Sergius IV.

Benedictus VIII.

perior fuit. Hôc defunctô, anno 1024. Tusculanus Comes, ut Pontificatum sua in familia retineret, alterum ex filiis Pontificem instituit, qui fuit *Johannes XVIII.* Sed hic, electionem suam vitiosam & simoniacam confessus, à Papalibus functionibus tamdiu abstinuit, donec à Clero Romano iterùm eligeretur; quod & postmodò factum est. Hujus post excessum, *Albericus* ejus frater, Comes Tusculanus, adservandi etiamtum apud suos Papatûs cupidus, filium suum nonnisi decennem, vel duodecennem, immensis largitionibus fieri Papam curavit. Dicebatur *Theophylactus*, dictúsque est *Benedictus IX.* Is Pontificatum, præter fas omne, merâque simoniâ, adeptus, flagitiosissimè administravit; eò usque ut Ethnicæ idololatriæ, artiúmque diabolicarum, insimulatus sit. Hujus tempore, triceps quidam Cerberus Ecclesia Romana fuit, præter *Benedictum* illum IX., *Sylvestro III.* & *Gregorio VI.* Pontificis nomen geren-

Johannes XVIII.

Benedictus IX. puer decennis vel duodecennis.

Benedictus IX. Sylvester III. & *Gregorius VI.* simul.

Digitized by Google

gerentibus: Cujus Schiſmatis ut finem faceret *Henricus III.* Imp. (Benedicto IX. ob miſſam *Petro* Hungariæ Regi coronam Imperatoriam, peculiariter infenſus) tres illos Papas, ut ſimoniacos, intruſos, aliorúmque criminum reos, exauctorari curavit, eorúmque loco *Suidgerum* Bambergenſem Epiſcopum inſtitui fecit, qui dictus eſt *Clemens II.* Verùm, hôc non multò poſt mortuô, & *Damasô II.* viginti tribus poſt conſecrationem diebus veneno extinctô, ad Pontificatum iterùm rediit *Benedictus IX.* Cujus monſtri pertæſis Romanis, *Bruno* Tullenſis Epiſcopus ab Imperatore tranſmiſſus, atque à Romanis electus eſt an. 1049., aſſumpto nomine *Leonis IX.* Is Pontifex, deceſſoribus quidem melior, ſui tamen muneris decórum haud ſervavit, dùm ipſe in aciem contra Normannos proceſſit; à quibus & bello captus, móxque ſine ullo redemptionis pretio honorificè dimiſſus eſt. Sub hoc Pontifice, grave *Leo IX.*

Dissidium inter Græcam & Latinam Ecclesias.

illud dissidium, quod jam inde à Sæc. IX. inter Græcam Ecclesiam & Romanam intercesserat, in nervum rursùs erupit. Cœpit agitari

Epistola Michaëlis Cerularii Patriarchæ Constantinop. contra Latinos an. 1053.

hæc Controversia an. 1053. scriptâ à *Michaële Cerulario* Patriarcha Constantinopolitano, cùm suo, tum *Leonis Acridani*, aliorúmque Episcoporum nomine, Epistolâ ad *Johannem Tranensem* in Apulia Episcopum, quâ sequentia in praxi Latinorum arguebantur; 1. quòd azymis uterentur in Eucharistia; 2. quòd Sabbatho jejunarent, tempore Quadragesimæ; 3. quòd sanguine & suffocatis vescerentur; 4. quòd Alleluya, in Quadragesima, non canerent. Hæc Michaël Cerularius; qui simul omnes Latinorum Ecclesias Constantinopoli claudi jussit, omnésque Abbates ac Monachos, qui ritibus Ecclesiæ Romanæ abrenuntiare nollent, é Monasteriis ejecit. Rescripsit ad

Epistola Leonis IX. ad Michaëlem Cerularium.

Michaëlis Epistolam *Leo IX.* suæque Ecclesiæ dignitatem in immensum extulit, Græcam verò plurima-

rum

rum hæresium ream peregit, quarum in numero Johannis Jejunatoris superbiam reposuit, qui Episcopi Oecumenici titulum usurpaverat. Scripsit & contra Michaëlem Cerularium Cardinalis *Humbertus*, Episcopus Sylvæ-candidæ; Pro Græcis verò *Nicetas Pectoratus*, Monachus Studiensis: Atque inter capita dissensûs, quæstiones de primatu Ecclesiæ Romanæ, de processione Spiritûs S. & de conjugiis Sacerdotum, haud infimum locum tenuêre. Inter hæc, Græcus Imperator, qui tum CONSTANTINUS MONOMACHUS erat, utilem sibi Romani Pontificis amicitiam ratus, datis ad ipsum litteris studium pacis testatus est; quod & Michaël Cerularius fecit. Quibus acceptis, *Leo IX.* Legatos Constantinopolim misit, putà *Humbertum* Cardinalem, *Fridericum* Cardinalem quoque, & Ecclesiæ Romanæ Cancellarium, & *Petrum* Archiepiscopum Melphitanum, unà cum literis ad Græcum Imperatorem, & Mi-

Scriptores utriusque partis.

Literæ Imperatoris Græci & Michaëlis Cerularii ad Leonem IX.

Legati à Leone IX. Constantinopolim missi, ejúsque literæ ad Imperatorem & Patriarcham.

Digitized by Google

chaëlem Cerularium, quibus *ista* potissimùm Græcis exprobrabantur; quòd Michaël Cerularius, cùm Neophytus esset, ad Patriarchalem Sedem statim promotus fuisset; quòd suæ Jurisdictioni Alexandrinum & Antiochenum Patriarcham subjicere vellet; quòd titulum Patriarchæ Universalis sibi assumeret, *cùm nec Petrus* (verba sunt Leonis) *nec successores ejus, tam prodigioso prænomine consensissent appellari*; denique quòd Ecclesiam Romanam anathemate ferire, omnésque azymo utentes graviter persequi non dubitaret. Cum his literis Constantinopolim appellunt Legati Romani, & à Græco Imperatore, qui Latinis nonnihil favebat, honorificè excipiuntur. At cùm Michaël Cerularius dimoveri à sententia non posset, eum Legati illi publicè excommunicant, instrumentúmque excommunicationis magno altari Ædis S. Sophiæ imponunt; quod profectò absque risu legi non potest, cùm veteres omnes hæreses,

Legati Romani Michaëlem Cerularium excommunicant.

etiam

etiam teterrimas, etiam alieniſſimas, quales ſunt *Simonianorum*, *Nicolaitarum*, *Marcionitarum*, *Manichaeorum*, *Arianorum*, *Pneumatomachorum*, aliáſque, Græcis adſcribat. Perſtitit in ſententia pars utraque; neque Schiſma illud, quidquid ſæpiſſimè fuerit tentatum, verè componi ad hunc uſque diem potuit. Alia Controverſia, circa idem tempus, imò & magnâ hujus Sæculi parte, Occidentales Eccleſias exercuit; de Euchariſtia nempe: Quod argumentum vexatum jam Sæc. IX. inter *Paſchaſium Ratbertum*, ejúſque Adverſarios, fuerat. Ab eo verò tempore, obſtetricantibus Sæculi X. tenebris, paſſim invaluerat, quanquam non apud omnes, doctrina Paſchaſii. At XI., quo de agimus, Sæculo, adversùs doctrinam illam non pauci inſurrexerunt; præſertim verò *Berengarius*, patriâ Turonenſis, & Archidiaconus Andegavenſis, vir, vel fatentibus ejus Adverſariis, dialecticæ peritiâ & morum ſanctitate conſ-

Controverſia Berengariana de Euchariſtia.

Quis fuerit *Berengarius*, & quænam ejus ſententia.

Digitized by Google

conspicuus. Is, sive à *Leutherico* Senonensi Archiepiscopo, qui ei prælusisse fertur, sive ab aliis, rectiorem de Eucharistia sententiam edoctus, pertractôque suas in partes *Brunone* Andegavensi, asseruit, panem & vinum Eucharistiæ, non verè & realiter, sed per figuram tantùm & similitudinem, esse corpus & sanguinem Domini. Cœpit hæc docere an. 1035.; multósque, totâ Galliâ, Italiâ, & Angliâ, cùm fautores, tum discipulos habuit. At é contrario plurimos nactus est Adversarios, præ cæteris *Adelmannum* Brixianum Episcopum, *Dietwinum* Episcopum Leodiensem, *Lanfrancum* Archiepiscopum Cantuariensem, *Albericum* Monachum Cassinensem, *Guitmundum* Archiepiscopum Aversanum, aliósque. Neque tantùm privatis Scriptis, sed & multorum Conciliorum decretis damnatus est, putà in Synodis Romana & Vercellensi, sub Leone IX. an. 1050.; in Synodo Parisiensi an. 1053.; in Syno-

Ejus Discipuli & Adversarii.

Concilia in quibus damnatus est.

Synodis Florentina & Turonensi sub Victore II. an. 1055.; rursùs in Synodo Romana sub Nicolao II. an. 1059. ad quam Synodum Berengarius citatus est, atque intentato mortis metu ad palinodiam adactus, subscriptâ formulâ, quâ agnoscebat, *panem & vinum quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, non solummodò sacramentum, symbolum, sive figuram, sed etiam verum corpus & sanguinem D. N. J. C. esse; & sensualiter non solùm sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*: Quæ quidem formula, ab *Humberto* Cardinali conscripta, & Berengario imposita, ab hodierna Ecclesiæ Romanæ sententia non parùm abludit. Quidquid sit, cùm Berengarius nonnisi vi ac minis ad recantandum adactus esset, ad pristinam sententiam statim rediit: Quâ de causâ rursùs damnatus est in Synodo Rothomagensi an. 1063., in Pictaviensi an. 1075. & in Romanis sub

Formula Berengario imposita in Concilio Romano an. 1059.

Berengarius ad pristinam sententiam redit. Iterùm damnatur, & ad ejurandam sententiam adigitur.

Digitized by Google

ſub Gregorio VII. an. 1078. & 1079.; in qua poſtrema, ad ejurandam ſententiam ſuam, novæque formulæ ſubſcribendum, rursùs eſt compulſus. Verùm ne tunc quidem mentem mutavit; ſed novam illam Fidei profeſſionem, quæ ipſi præſcripta fuerat, rejecit poſtmodùm & confutavit; háncque confutationem à ſe viſam docet *Mabillonius*. Obiit Berengarius an. 1088. in D. Coſmæ inſula, Turonibus proxima, ubi habitum Monachalem per octennium geſſerat: Defunctúmque ſplendidiſſimo Epitaphio proſecutus eſt *Hildebertus* Epiſcopus Cenomanenſis.

Sed mentem non mutat.

Moritur an. 1088.

Labente Sæculô, anno nempe 1073. ad Romanum Pontificatum evectus eſt *Gregorius VII.* antea *Hildebrandus* dictus, Pontificum omnium qui unquam vixêre audaciſſimus ac ſuperbiſſimus; cujus auſa intoleranda, veréque Antichriſtiana, ut Eccleſias omnes omniáque Regna ſibi ſubjiceret, ſpeciatim verò diſſidia ejus cum HENRICO IV. Germanorum Impera-

De Gregorio VII. ſeu Hildebrando.

Ejus diſſidia cum HENRICO IV. Imp.

peratore, Europam omnem per plures annos bellis tumultibúsque implevêre. Scilicèt, Gregorius factus Pontifex, Conciliô Romæ habitô, Clericos simoniacos & concubinarios statim damnavit: Cujus decreti exsecutio, per Italiam, Germaniam, aliásque oras, dici non potest quantùm querelarum ac turbarum excitaverit; eo præsertim quòd simoniacis illi etiam accenserentur, qui Beneficiorum collationem, seu *Investituram*, à Laïcis accepissent; sub concubinariis verò, etiam conjugati, quorum maximus adhuc numerus erat, comprehenderentur. Turbabant & Germaniam, per illa tempora, motus Politici; Saxonibus aliísque populis Henrico rebellantibus; Quæ opportunitas captata à Gregorio, sedulóque promota est. Cùm enim *Gothofredum* Archiepiscopum Mediolanensem, aliósque Italiæ Episcopos, ob simoniæ caussam excommunicasset Gregorius, ab eorum verò communione recedere Henricus

Decretum Greg. VII. contra Clericos simoniacos & concubinarios.

Investituras à Principibus datas, & Conjugia Clericorum damnat.

Episcopi à Gregorio excommunicati, ab Henrico

vero protecti.

cus nollet, hinc lis gravissima inter illos exorta est: Quæ cùm per Legatos ultrò citróque missos aliquandiu agitata esset, in apertum tandem bellum erupit. Quippe Henricus Conventum Principum atque Episcoporum Wormatiæ habet, an. 1076. à quo *Hildebrandus*, ob varia scelera, Pontificatu indignus pronuntiatur: Subscribunt huic decreto Episcopi 26.; mittitúrque Romam Legatus, qui judicium illud Pontifici notum faciat. Qui quidem, hôc acceptô nuntiô, dum Concilium Romæ celebraret, eos Episcopos à quibus damnatus fuerat, vicissim damnat; Henricum etiam diris devovet, Regnóque dejicit, ejúsque subditos fidei sacramento exsolvit. Scribit & ad Germaniæ Principes ac populos, eósque ad Henrici partes deserendas, novúmque eligendum Regem, hortatur. Quibus exciti illi Principes, Triburiæ prope Moguntiam sub anni finem congregantur, Henricum regno spo-

Conventus Wormatiæ an. 1076. contra Gregorium VII.

Gregorius VII. Henricum excommunicat, & Regnó dejicit.

Conventus Triburiensis contra Henricum.

lia-

liatuti, nisi pollicitus per Legatos esset, se intra statutum tempus absolutionem à Papa impetraturum. Igitur cedens infelicitati temporum Henricus, mediâ hyeme, unà cum uxore & filio parvulo, iter in Italiam suscipit, atque à Pontifice, qui tum Canusii versabatur (erat id castellum Mathildis Comitissæ in Lombardia) indignissimo modo excipitur. Cùm enim castellum illud triplici muro septum esset, Henricus foris relictô omni comitatu, cultûque regiô depositô, nudis pedibus, sub dio, frigore atque inedia consumptus, intra secundum murorum ambitum, à mane usque ad vesperam detentus est. Hoc primô die, & secundô; & tertiô factum. Tandem verò quartô die, eum ad se admisit Papa, durissimísque impositis legibus anathemate liberavit; his legibus nimirùm, »ut quo die & lo»co Papa præciperet, ad caussam di»cendam veniret, & accusationibus »sibi intentatis responderet; paratus

Henrici iter in Italiam, ut absolutionem à Papa impetret.

Quàm indignè à Papa excipiatur.

Duræ leges Henrico impositæ.

»regno cedere, si ita juberet Pon»tifex, promittensque se totam hanc »injuriam patienter laturum, nec »de quoquam vindictam sumpturum; »denique regni insignia atque admi»nistrationem ad illud usque judi»cium non recepturum; &c. Acta hæc mense Januario an. 1077. Verùm; ne hâc quidem fœdâ submissione, pacem atque regnum sibi asserere valuit Henricus; siquidem & amicos suos ad indignationem & contemptum movit, neque obstitit quominùs adversæ partis Principes, Forchemii congregati, ab eo planè defecerint, & *Rodolphum* Sueviæ ducem in Regem elegerint; cui & Papa coronam misisse fertur, cum hoc versiculo,

Pax inter Henricum & Gregorium non diuturna.

Rodolphus Sueviæ dux in Germanorum Regem electus;

Petra dedit Romam Petro, tibi
Papa coronam.

vel, juxta alios,

Petra dedit Petro, Petrus diadema
Rodolpho.

Pugnatum ergo vario marte inter Henricum & Rodolphum fuit; sed Ro-

Digitized by Google

Rodolphus victus tandem atque occisus est an. 1080. non sine agnita divini judicii æquitate, quòd eâdem dextrâ, quâ juratam Domino fidem fefellerat, percussus esset. Interim, cùm novis diris in Henricum sævi- ret Gregorius, ab Henrici factione iterùm damnatus est, ejúsque loco *Guibertus*, Archiepiscopus Raven- natensis, in Pontificem electus, assumptô nomine *Clementis III.* Henricus porrò, Rodolphô victô, in Italiam venit; obsessâque non semel Româ, Gregorium, qui Normannos suam ad opem advocârat, fugere tandem Salernum coëgit, ubi & mortuus est an. 1085. Atque hic finis fuit Hildebrandi, turbulentissimi illius Pontificis, cujus fastum non Germania solùm ac Italia expertæ sunt, sed & Gallia, Anglia, Hispania, Hungaria, Bohemia, Dania, Polonia, Sicilia, Sardinia, denique ipsum Græcorum Imperium; siquidem Regnorum illorum omnium, non spiritualem modò, sed

ab Henrico victus & occisus an. 1080.

Guibertus, seu *Clemens III.* Antipapa.

Gregorius Roma fugatus & mortuus an. 1085.

Gregorius VII. Monarchiæ Universalis usurpator.

Digitized by Google

& temporalem Monarcham agebat; ausis iniquissimis ac superbissimis, eóque solo dignis qui se ὑπὲρ πᾶν σέβασμα elaturus erat. Quin & habentur, inter ejus epistolas, Decreta quædam (*Dictatus* appellantur) superbæ illius veréque Antichristianæ doctrinæ testes; quales hi sunt præ cæteris; »Quòd solus Romanus Ponti»fex jure dicatur Universalis; Quòd »ille solus possit deponere Episcopos, »vel reconciliare, etiam absque Sy»nodali conventu; Quòd cum excom»municatis ab illo nec in eadem do»mo permanere liceat; Quòd illi »soli licet, pro temporis necessitate, »novas leges condere; Quòd solus »possit uti Imperialibus insigniis; Quòd »solius Papæ pedes omnes Principes »deosculentur; Quòd illius solius no»men in Ecclesiis recitetur; Quòd »unicum sit Papæ nomen in mundo; »Quòd illi liceat Imperatores depo»nere; Quòd nulla Synodus, abs»que præcepto ejus, debet Genera»lis vocari; Quòd nullum capitu»lum,

Dictatus Gregorii VII.

Digitized by Google

»lum, nullúsque liber Canonicus ha-
»beatur absque illius auctoritate;
»Quòd sententia illius à nullo de-
»beat retractari, & ipse omnium so-
»lus retractare possit; Quòd à nemi-
»ne judicari debeat; Quòd Roma-
»na Ecclesia nunquam erravit, nec
»in perpetuum errabit; Quòd Ro-
»manus Pontifex canonicè ordina-
»tus meritis beati Petri indubitanter
»efficitur sanctus; Quòd Catholicus
»non habeatur, qui non concordat
»Romanæ Ecclesiæ; Quòd à fideli-
»tate iniquorum (h. e. Regum ac
»Principum à Romana Sede dam-
»natorum) subjectos potest absolve-
»re; &c.» Quæ quidem Decreta
ita iniqua atque tyrannica ipsis Pon-
tificiorum sanioribus videntur, ut
ea pro genuino Gregorii fœtu ha-
beri nolint: Verùm, sive hæc scrip-
serit, sive non, hoc tamen certissi-
mum est, ejus facta his consensisse.
Mortuô Gregoriô, non ideò Schis- **Schismatis continuatio post Gregor. VII.**
ma exstinctum est; Electus quippe
est, ab ejus factione, *Victor III.* &

post hunc *Urbanus II.* dum interim *Clementi III.* sive *Guiberto*, Henricus Imp. adhæresceret. Ab illo Urbano II. dum in Galliis versaretur, celebratum est Concilium Claromontanum, an. 1095. quô, inter alia, Bellum Sacrum, ad Palæstinam Saracenis eripiendam, primùm decretum est. Operis instigator fuerat *Petrus* quidam *Eremita*, patriâ Ambianensis, qui, cùm in Syriam iter fecisset, Christianorúmque sub Saracenico jugo gementium statum exploràsset, redux in Europam sacræ illius militiæ classicum cecinerat. Igitur, susceptâ é lana rubra Cruce (quæ tessera militiæ fuit) humerísque impositâ, ad expeditionem illam procedunt *Hugo* Magnus, Philippi Galliæ Regis frater, *Robertus* Normannorum dux, frater Regis Angliæ, *Robertus* Comes Flandriæ, *Raimundus* Comes Tolosanus, *Gothofredus Bullioneus* Lotharingiæ dux, cum *Balduino* & *Eustachio* fratribus, aliique Viri principes, unà cum immen-

Bellum Sacrum à Crucesignatis susceptum, hortatu Urbani II. & Concilii Claromont. an. 1095.

Principes Crucesignati.

Digitized by Google

mensa hominum cujuscunque ordinis multitudine; qui variis defuncti periculis, captisque Nicæâ, Edessâ, Antiochiâ, aliisque urbibus, Hierosolyma tandem expugnârunt, an. 1099. primúmque Regem creârunt *Gothofredum Bullioneum.* Circa eadem tempora, an. nempe 1094. & 95. *Philippus* Galliæ Rex, ob datum *Bertæ* uxori repudium, adscitámque ejus loco *Bertradam*, ab Urbano Pontifice excommunicatus est; mox, remotâ Bertradâ, in integrum restitutus: Quam tamen postea recepit, &, accedente *Paschalis II.* dispensatione, uxorem habuit. Hôc Sæculô, *Stephanus*, primus Hungarorum Rex, & *Casimirus* ex Monacho Cluniacensi Poloniæ Rex creatus, rem Christianam promovisse, & singulari vitæ sanctitate (sed qualem tempora illa ferebant) claruisse perhibentur, unde & uterque Divis adscriptus est. Habuit hæc ætas Scriptores non paucos, cùm Græcos, tum Latinos, sed, quos exi-

Capta Hierosol. an. 1099. cujus Rex creatus *Gothofredus Bullioneus.*

Philippus Galliæ Rex ob Bertæ divortium à Papa excommunicatus.

S. Stephanus primus Hungariæ Rex. S. Casimirus, ex Monacho Cluniacensi Rex Poloniæ.

Scriptores Ecclesiastici Sæc. XI.

Digitized by Google

Theologia subtiliùs tractari cœpta.

mios dixeris, nullos. De Religione subtiliùs quàm antea disseri cœptum: verùm illâ subtilitate, non tam ad verum eruendum, quàm ad errores defendendos atque incrustandos utebantur, quemadmodum in lite Eucharistica patuit. Inter Græcos Theologos, eminet *Theophylactus*, Bulgarorum Archiepiscopus, sed qui nil ferè in Commentariis quàm Chrysostomum exscribit. Inter Latinos eminent *Fulbertus* & *Ivo* Carnotenses Episcopi, *Petrus Damiani*; *Lanfrancus* & *Anselmus*, Archiepiscopi Cantuarienses, alíque, quos, tum in caussa Græcorum, tum in caussa Berengariana, suprà memoravimus. Apud *Anselmum* Cantuariensem, quô non alius subtilior fuit, reperias idem ferè argumentum pro existentia Dei, quô usus est novissimô Sæculô *Cartesius*.

Theophylactus, Bulgar. Archiep.

Fulbertus, *Ivo*; *Petrus Damiani*.

Lanfrancus; *Anselmus*.

Historici Græci & Latini.

Sunt & Historici non incelebres; in Græcis, *Georgius Cedrenus*, *Leo Grammaticus*, *Johannes Scylitza*, Historici Byzantini; *Johannes Xiphilinus*, epi-

Digitized by Google

epitomator Dionis; in Latinis *Hermannus Contractus*, *Marianus Scotus*, *Lambertus* Schafnaburgensis, *Ademarus*, *Glaber Radulphus*, *Bertholdus* Constantiensis, &c. Neque omittendus *Michaël Psellus*, vir in Aula Byzantina illustris, & in omni Scientiarum genere pro temporum captu versatissimus. Cultus divinus, ignotâ Plebi linguâ, huic ætati præsertim debetur, desuescente magis magísque Latini sermonis usu, quem tamen in Sacris retentum Pontifices Romani curabant: Unde, cùm *Wratislaus* Bohemiæ dux à *Gregorio VII.* petiisset, ut cultum sacrum Linguâ Slavonicâ celebrare sibi liceret, renuit Gregorius; contrà quàm, ducentis antè annis, à *Johanne VIII.* Pontifice, in gratiam *Sphentopulchri* Moraviæ Principis concessum fuerat. Dedêre & operam Romani Pontifices, speciatim *Gregorius VII.* & *Urbanus II.* ut Officium Romanum, sicubi fortè nondum receptum, ubique admitteretur: Quæ lis in Hispania,

Michaël Psellus.

Cultus divinus linguâ ignotâ.

Officium Romanum passim receptum.

Ludicra

pugna hac de re in Hispania. pania, inter Officium vetus, *Mozarabicum* dictum, & Officium *Romanum*, ludicrâ admodum ratione disceptata est; nimirùm singulari certamine, & probatione ignis; Quibus in congressibus, licèt victoria penès Officium vetus fuisset, Romanum tamen, Pontificis jussu, & Alphonsi Regis voluntate, introductum est. Superstitionum incrementa. Superstitionum nullus finis; Cultus Divorum, B. Virginis, Angelorum, reliquiarum, &c. novis quotidie ritibus ornatus: Quæ quidem Sacrorum ineptiæ, jejunia, peregrinationes in loca sancta, pœnitentiæ ludicræ, absolutiones Roma emendicatæ, flagellationes voluntariæ hôc Sæculô demùm introductæ, denique sacra militia, veriùs impurissima ac flagitiosissima dicenda, Veteris Disciplinæ extinctio. quidquid ex veteri Disciplina supererat pessum dedêre. Aucta ditionibus Ecclesia Romana; magis verò Tyrannidis Papalis fastigium. audacia ac tyrannide, quam ultra terminos omnes ab Hildebrando perductam ostendimus. Aucta quoque

Car-

Digitized by Google

Cardinalium dignitas, in primis sub *Nicolao II.* in Concilio Romano, an. 1059. quô potissimæ partes in electione Pontificum ipsis delatæ sunt. Ad Monachorum familias antè institutas, accessêre hôc Sæculô, Ordo *Camaldulensis* auctore *Romualdo*; Congregatio *Vallis umbrosæ*, auctore *Gualberto* Florentino; Ordo *Grandimontensis*, auctore *Stephano*; Ordo *Cartusianorum*, auctore *Brunone*; Ordo *S. Antonii* in Gallia, auctoribus *Gastone* & *Girino*, viris nobilibus Provinciæ Viennensis; Ordo *Cisterciensis*, auctore *Roberto* Abbate Molesmensi; denique Ordo *Fontebraldensis*, auctore *Roberto de Arbrissellis*. Cœlibatûs Legem, multis in locis non observatam, Pontifices hujus Sæculi, in primis *Leo IX. Nicolaus II.* & *Gregorius VII.*, strictiùs multò atque severiùs quàm antea præceptam curârunt: Quod jugum cùm intolerandum plurimis videretur, hinc gravissimæ passim turbæ exortæ sunt. Certè Mediolani Clerici

Cardinalium dignitas aucta.

Novi Ordines Monastici.

Cœlibatus Clericorum severissimè imperatus.

Digitized by Google

rici non pauci, cùm uxores dimittere nollent, ab Ecclesiæ Romanæ communione secessêre, & peculiares sibi conventus instituêre, in loco *Patarea* dicto; Quæ origo *Patarinorum*, sive *Valdensium*, Sæculo sequenti notissimorum, videtur fuisse. Sic é tenebris educebat lucem Deus; ortis, non in Italia solùm, sed & in variis Galliæ partibus, qui Pontificiis erroribus atque tyrannidi sese opponerent.

Origo Patarinorum.

Testes veritatis in Italia & Gallia.

Summa Capita

SÆCULI XII.

Nova inter Imperatores & Papas dissidia. Paschalis II. *Papa, & varii Antipapæ. Dissidium inter* HENRICUM IV. *Imp. & Paschalem II. P. Item inter* HENRICUM V. *& eundem Paschalem.* Gelasius II. *& Burdinus Antipapa. Fœdus circa Investituras, inter* Hen-

Henricum V. *Imp.* & Calixtum II. *P.* *Concilium Lateranense I. an.* 1123. Innocentius II. *P.* & *Antipapa Petrus Leonis, seu* Anacletus II. *Concilium Lateranense II. an.* 1139. *sub Innocentio II.* Eugenius III. *Dissidium inter* FRIDERICUM *Ænobarbum Imp.* & Alexandrum III. *P.* *Antipapæ* Victor III. Paschalis III. & Calixtus III. *Pax inter Fridericum Imp.* & *Alexandrum III. P. an.* 1177. *Dissidium inter* Henricum II. *Angliæ Regem,* & Thomam Becket *Archiep. Cantuar.* *Bellum Sacrum bis instauratum hôc Sæculô, an.* 1147. & 1188. *Hierosolyma à Saladino capta an.* 1187. *Veritatis testes.* Petrus Brusius & Henricus. Petrus Valdo. *Albigenses & Valdenses, perperàm cum Manichæis confusi.* *Concilium Lateranense III. an.* 1179. *sub Alexandro III. Papa.* *Canon* 27. *contra Valdenses.* *Literarum studia Sæculo XII.* *Theologiæ Scholasticæ ortus.*

ortus. Petrus Lombardus. Petrus Abelardus. Gilbertus Porretanus. D. Bernardus. *Academiæ. Philosophia. Jus Civile. Juris Canonici origo. Historici. Judæorum Doctores. Arabes. Errorum augmenta. Nomen* Transsubstantiationis *natum. Ordines Monastici. Ordinum Militarium institutio.*

SÆCULUM XII.

Nova inter Imperatores & Papas dissidia.

NOva dissidia Imperatorum cum Papis, & ea quidem vividissima, hôc Sæculô exstitêre. Caussa præcipua, *Investituræ*; quæ lis tandem, ut videbimus, utcumque composita est. His accessêre motus Politici, quibus Pontifices se immiscebant: Tum & plurium de Pontificatu contendentium ambitus, quorum alios præ aliis Imperatores tuebantur. Et initio quidem, *Paschalis II.*, post oppressos plures Antipapas, putà *Guibertum*, seu *Clementem III.*, *Albertum*, *Theodoricum*, &

Paschalis II. P. & varii Antipapæ.

Magi-

Maginulphum, ad priſtinas cum HENRICO IV. Imperatore lites, magnô animô, magnâque audaciâ, rediit: Quo factum, ut infauſtum Principem, novis à Pontifice percuſſum diris, ipſe filius nominis ejuſdem bello adortus ſit, victúmque ſolio deturbâris, an. 1105. Sed neque huic HENRICO V. longa cum *Paſchali* concordia fuit, qui, dum lata à Gregorio VII. contra Inveſtituras decreta renovat, ab Henrico captivus abducitur, neque antè liberatur, quàm jura Inveſtiturarum Imperatori reddidiſſet: quô factô, Romam revertuntur, ubi Henricus ſolemni ritu à Paſchali coronatur, an. 1111. Verùm illa Inveſtiturarum conceſſio, quam expreſſerat metus, non unô mox Conciliô revocata eſt; Unde novis in Henricum diris, novíſque tumultibus, locus datus eſt. Interim *Gelaſio II.*, quem in Paſchalis defuncti locum Cardinales ſuffecerant, *Burdinum* Henricus oppoſuit, qui dictus eſt *Gre-*

Diſſidium inter HENRICUM IV. Imp. & Paſchalem II. P.

Item inter HENRICUM V. & eundem Paſchalem.

Gelaſius II. & Burdinus Antip.

Fœdus circa Investituras, inter Henricum V. Imp. & Calixtum II. Pap. I

Gregorius VIII. Verùm cum *Calixto II.* Gelasii successore, in fœdera pacis Henricus venit, eâ lege ut jus Investituræ *per baculum & annulum* remitteret Imperator, fierent tamen electiones Episcoporum & Abbatum præsente Cæsare, à quo & regalia electi *per sceptrum* acciperent. Initum hoc fœdus Wormatiæ an. 1122.; annô verò sequenti in Concilio Lateranensi I. confirmatum; sícque illi de Investituris dissidio, quod, inde ab annis plus quàm quinquaginta, miras in Ecclesia tragœdias creaverat, finis tandem impositus. Burdinum interea Antipapam Calixtus capit; cameló-que impositum, versò ad caudam capite, pellibúsque indutum caprinis sanguine maculatis, per Urbem circumduci curat, tandémque Monasterio pœnitentiam acturum includit. Haud multò pòst, novo divortio Ecclesia Romana scissa est, hinc *Innocentio II.* illinc Antipapa *Petro Leonis*, sub *Anacleti II.* nomine,

Concil. Later. I. an. 1123.

Innocentius II. P. & Antip. Petrus Leonis, seu *Anacletus II.*

de

Digitized by Google

de Papatu contendentibus; Qua in lite, superior tandem Innocentius II. fuit; à quo & Concilium Lateranense II. habitum est, an. 1139. quô, inter alia, Petri Leonis fautores damnati sunt. Quibusdam pòst annis, Papa fuit *Eugenius III.*, D. Bernardi Abbatis Claraevallensis discipulus; ad quem & iste *Libros de Consideratione* inscripsit, quibus vitia illorum temporum, speciatim Romanae Sedis, vividè perstringuntur. Iste Eugenius, cùm Senatûs Romani auctoritatem ratam esse nollet, perpetua cum Romanis habuit dissidia; unde & Roma cedere, ac per Italiam & Galliam errare, toto ferè Pontificatûs tempore coactus est. Dum verò in Galliis esset, à *Ludovico Juniore* Rege honorificè exceptus, non unô habitô Conciliô sacrae militiae classicum cecinit. An. 1159. atrox coepit dissidium, inter FRIDERICUM *Aenobarbum* Imperatorem, & *Alexandrum III.* Papam, quem à magna Cardinalium parte

Concil. Lateran. II. an. 1139. sub Innocentio II.

Eugenius III.

Dissidium inter FRIDERICUM *Aenobarb.* Imp. & *Alexandrum III.* P.

K electum

Digitized by Google

electum Fridericus pro vero Pontifice habere noluit, *Victoris III.* primùm, deinde & *Paschalis III.* tandem & *Callisti III.* Antipaparum partes secutus. Varia utrinque Concilia ac bella, per annos propè octodecim. Tandem Fridericus, clade à Liguribus acceptâ, Legatos qui de pace agerent ad Alexandrum misit, quæ re verâ Venetiis inter illos sancita est, an. 1177. Imperatore, in vestibulo Basilicæ D. Marci, sese coram Papa humi prosternente, ab eóque accipiente osculum pacis. Quibus & alii addunt, Pontificem prostrati ad pedes Cæsaris collum pede compressisse, his prolatis ex Psalte verbis, *Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: Cùm verò dixisset Imperator, *Non tibi, sed Petro*, Papam, *Et mihi & Petro*, reposuisse. In Anglia, *Henrico* Regi, hujus nominis II. lis magna fuit cum *Thoma Becket*, Archiepiscopo Cantuariensi; qui, cùm

Antip. Victor. III. Paschalis III. & Calixtus III.

Pax inter Frider. Imp. & Alexandr. III. an. 1177.

Dissidium inter *Henricum II.* Angliæ Regem, & *Thomam*

Digitized by Google

cùm Clericos flagitiosos, intérque alios Canonicum quendam, in jus vocari nollet, imò neque adduci posset ut Regni consuetudinibus, nisi *salvo ordine suo*, sese submitteret, iram in se Regis concitavit. Mox tamen ab aliis persuasus, in Conventu Clarendunensi an. 1164. unà cum cæteris Angliæ Præsulibus, ad Regni consuetudines *bonâ fide* observandas solemni juramento sese obstrinxit. At verò facti pœnitens, in Conventu Northamptunensi damnatus est, séque in Galliam recepit, ubi Romanum Pontificem Galliǽque Regem patronos nactus, pace tandem compositâ in Angliam rediit, an. 1170. Sed cùm Regi iterùm, cæterísque Præsulibus, molestus esse non desineret, à quatuor regiis satellitibus, injussu tamen Regis, confossus est. Pro qua cæde nihilominùs severa pœnitentia Regi à Pontifice est imposita; Thomas verò, triennio pòst, in Martyrum ac Divorum numerum relatus. Bellum Sacrum, sub Becket Archiep. Cantuar.

Bellum Sacrum bis instauratum hoc Sæculo, an. 1147. & 1188.

finem Sæculi superioris inchoatum, hâc ætate semel atque iterùm instauratum est; primùm an. 1147. ab Imperatore *Conrado*, & *Ludovico VII.* sive *Juniore*, Galliæ rege; deinde an. 1188. à *Friderico Ænobarbo* Imperatore, *Philippo Augusto* Galliæ, & *Richardo* Angliæ regibus; sed nullo, imò infaustissimo potiùs successu; Saracenorum res promovente Græcorum perfidiâ, Latinorúmque discordiis, ac perditissimis moribus: Unde captam à *Saladino* Hierosolymam annô 1187. tot Christianorum exercitus recuperare non valuêre, sed re infectâ in patriam remeare coacti sunt. Fridericus Imp. an. 1190. dum per æstivos calores in quodam Ciliciæ flumine se ablueret, exstinctus est. Philippus annô sequenti in Galliam rediit. Richardus Angliam repetens, interceptus in itinere est ab Leopoldo Austriæ duce. Sícque nihil aliud quàm Europæ damna, & Christianæ rei perniciem, Expeditiones illæ pepe-rêre.

Hierosolyma à Saladino capta an. 1187.

Digitized by Google

rêre. Contra Papales Superstitiones, tyrannidémque Antichristianam, multi hôc Sæculô insurrexerunt; inter quos eminuêre *Petrus Brusius*, & *Henricus* ejus discipulus, qui in meridionalibus Galliæ partibus prædicârunt, uterque martyrio ibidem coronatus. Omnium verò maximè notari meretur *Petrus Valdo*, civis Lugdunensis, qui, cùm dives esset, bona sua omnia in pauperum usum impendit, expositísque vernaculo sermone Sacris Literis, confluentem ad se multitudinem puriori fide imbuit: Claruit circa annum 1170. Atque hinc *Albigensium* & *Valdensium* ducuntur origines: quanquam dubitari nequit, quin antea jam, in illis Galliæ atque Italiæ tractibus, à Romana fide multi desciverint, quemadmodum ad superius Sæculum notavimus. Quòd verò illi cum *Manichæis* (qui & non pauci per illa tempora fuêre) à Pontificiis vulgò confunduntur, id partium studio tribuendum; siquidem piæ illo-

Veritatis testes.

Petrus Brusius, & Henricus.

Petrus Valdo.

Albigenses & Valdenses;

perperàm cum Manichæis confusi.

rum doctrinæ, vitæque inculpatæ, tum apud Historicos fide dignissimos, tum in pluribus eorum Libris etiamnum superstitibus, tum etiam apud ipsos eorum Adversarios, haud obscura monumenta exstant. Interim diris atque suppliciis eos persequi Roma non destitit; latâ in primis in eos sententiâ in Concilio Lateranensi III. an. 1179. Alexandro III. Pontifice, Canone 27. quô, ad bellum iis indicendum, promissis etiam Indulgentiis, Principes omnes excitantur; prohibetúrque, sub pœna anathematis, *ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum iis exercere præsumat.* Unde, armis tormentísque pressi, in varias sese regiones diffuderunt. Literarum studia, quæ sepulta dudùm prioribus Sæculis fuerant, hac ætate excitata sunt; non tamen qualia oportuerat, ob ignorationem Linguarum, Librorum penuriam, artémque rectè ratiocinandi, ac de Veterum libris judicandi,

Concil. Later. III. an. 1179. sub Alexandro III. P.

Can. 27. contra Valdenses.

Literarum studia Sæc. XII.

di, penitùs ignotam. Ejus Theologiæ, quam *Scholasticam* dicunt, (quæ, & inanium quæstionum, & barbararum vocum ferax est, magísque hominum testimoniis quàm Dei Oraculis nititur) huic ætati adsignatur ortus; auctore in primis *Petro Lombardo*, Episcopo Parisiensi, qui, quatuor Libris *Sententiarum* dictis, Theologiam ex Latinis Patribus digessit, hinc *Magister Sententiarum* vulgò appellatus: Quam quidem methodum, & *Robertus Pullus* Cardinalis, *Petrus Pictaviensis*, *Rupertus Tuitiensis*, *Hugo* & *Richardus de Sancto Victore*, aliíque, eâdem ætate secuti sunt. Prima hæc fuit *Scholasticorum* ætas, ab Evangelii quidem simplicitate multùm jam aliena, ut vel ex primo Lombardi libro cernere licet, sed purior tamen sequentibus, quibus omnia ad Aristotelis doctrinam composita sunt. His verò alii hôc Sæculô jam præluserant; in primis *Petrus Abælardus*, & *Gilbertus Porretanus*, Pictaviensis Episco-

Theologiæ Scholasticæ ortus.

Petrus Lombardus.

Petrus Abælardus.

Gilbertus Porretanus.

Digitized by Google

Episcopus, inter doctissimos & acutissimos hujus ætatis Viros numerandi, sed ob quædam subtiliùs tractata, & à vulgaribus placitis remota, non unius Concilii censuras experti. Fuêre porrò & alii Theologi hac ætate non incelebres; inter Latinos, *Petrus Blæsensis*, *Petrus Cellensis*, &c. inter Græcos, *Johannes Zonaras*, & *Theodorus Balsamon*, Canonum Ecclesiasticorum Commentatores, &c. Verùm inter Doctores omnes, de quibus hæc ætas potest gloriari, primas tenet *D. Bernardus*, Abbas Claræ-vallensis, Vir meliori dignus Sæculo, in notandis suorum temporum, ipsiúsque adeò Curiæ Romanæ vitiis liberrimus; superstitionis tamen ac zeli præposteri, in nonnullos nomine tenùs Hæreticos, meritò insimulandus. Academiæ hoc Sæculo celebres; quas inter, *Bononiensis* in Italia, & *Parisina* in Galliis, eminuêre. Aristotelis Philosophia ab Arabibus ad Latinos translata. Jus Civile, repertis in Apulia

D. Bernardus.

Academiæ.

Philosophia.

Jus Civile.

Justi-

Justinianæis Pandectis, é tenebris erutum, &, auctoritate LOTHARII SAXONIS Germanorum Imperatoris, ab Irnerio, sive Wernero, publicè doceri cœptum. Quô exemplô, novum *Jus Canonicum*, sive Pontificium, ex Patrum dictis, Actis Conciliorum, & Romanorum Pontificum Epistolis & Constitutionibus, à *Gratiano* Monacho Thusco compilatum est; quod opus *Concordantiam discordantium Canonum* vocavit, nunc *Decretum Gratiani* appellatur; sequentibus Sæculis à *Gregorio IX.*, *Clemente V.*, aliisque Pontificibus, novis Decretalibus augendum: Quo in opere, innumeros esse omnis generis errores, atque in primis Scripta spuria pro genuinis laudari, apud ipsos Pontificiorum Viros doctos in confesso est. Habuit hæc ætas plurimos Historicos, cùm Latinos, tum Græcos; in Latinis, *Petrum Comestorem*, Historiæ Scholasticæ, sive Sacræ, consarcinatorem; *Othonem Frisingensem*,

Juris Canonici origo.

Historici.

ſcriptorem Hiſtoriæ univerſalis; *Sigebertum* Chronici Hieronymiani continuatorem; *Gulielmum Tyrium*, qui Bellum Sacrum in literas retulit, &c; in Græcis, *Johannem Zonaram*, *Michaëlem Glycam*, *Conſtantinum Manaſſem*, *Johannem Cinnamum*, *Nicephorum Briennium*, *Annam Comnenam* &c., qui omnes inter Hiſtoricos Byzantinos locum occupant.

Judæorum Doctores.

Judæorum Doctores clariſſimi hac ætate exſtitêre; *R. Salomo Jarchi*; *R. Abenezra*; *R. David Kimchi*, ejúſque frater *Moſes*; ſpeciatim verò *R. Moſes ben Maimon*, Rabbinorum omnium facilè princeps; aliúſque *Moſes Nachmanis* filius; &c.

Arabes.

Arabes duo longè celeberrimi, *Avicenna* & *Averroës*, ſuis in Ariſtotelem commentariis clari.

Errorum augmenta.

Erroribus jam inolitis, circa Divos, Reliquias, Imagines, &c. item circa Euchariſtiam, aliáque capita, novum quotidie robur accedebat.

Nomen *Tranſſubſtantiationis* natum.

Ipſum nomen *Tranſſubſtantiationis*, poſtquàm res invaluerat, hac ætate pri-

Digitized by Google

primùm auditum. Nec tamen deerant, qui, tum huic errori, tum aliis, adversarentur, prout suprà jam ostensum est. Monachis *Præmonstratenses* & *Carmelitæ* accessêre. Denique Ordines Militares, putà *Hospitalariorum*, sive *S. Johannis Hierosolymitani*, *Templariorum*, *Teutonicorum*, *D. Jacobi*, & *Calatravæ*, hoc Sæculo primùm nati sunt.

Ordines Monastici.

Ordinum Militarium institutio.

Summa Capita

SÆCULI XIII.

Innocentius III. *Papa.* Philippo Augusto *Galliæ Regi anathema dicit.* Philippum *Sueviæ Ducem, de Imperio contendentem, excommunicat. Idem Pontifex excommunicat* OTHONEM *Imp. Dissidium inter Innocentium III. &* Johannem sine terra, *Regem Angliæ. Duplex electio ad Archiepiscopatum Cantuariensem. Neutram Papa ratam ha-*

bet;

Digitized by Google

bet; sed Stephanum Langton *Card. eligi curat. Vividæ Regis literæ ad Papam, an.* 1208. *Responsum Papæ. Johannes Angliæ Rex à Papa excommunicatus. Anglia sub interdicto. Papa Philippum Aug. Galliæ Regem ad bellum Johanni inferendum excitat. Johannes Regna Angliæ & Hiberniæ Pontifici resignat, eàque sub tributi lege recipit. Acta contra Albigenses & Valdenses. Cruciata Expeditio contra Albigenses. Valdenses passim comprehensi atque combusti. Ordines Prædicatorum à* Dominico, *Minoritarum à* Francisco Assisio *instituti. Officium* Inquisitionis *erectum. Concilium Lateranense IV. Oecum. an.* 1215. *Capit.* 1. Transsubstantiatio *primùm sancita. Capit.* 3. *de Hæreticis excommunicandis, & ad pœnam tradendis. Cap.* 21. *Confessio Auricularis primùm imperata.* FRIDERICUS *Imp. à* Gregorio IX. *excommunicatus. Bellum inter Imperatorem & Papam.*

Digitized by Google

pam. Guelphi *&* Gibellini. Innocentius IV. *Papa. Concilium Lugdunense I. Oecum. an.* 1245. *Friderici Imp. obitus. Novae de Imperio & Regno Siciliae lites. Ausis Romanorum Pontificum multi obsistunt. Bellum Sacrum infelix. Belli Sacri finis, an.* 1291. *Constantinopolis à Latinis capta, Imperiúmque ibi fundatum, an.* 1204. *recepta à Graecis an.* 1261. *Tentata Ecclesiae Graecae cum Romana concordia. Concilium Lugdunense II. Oecumen. an.* 1274. *quô pax cum Graecis inita. Concordia à Graecis rejecta, in Concilio Constantinop. an.* 1284. *Scriptores Graeci pro & contra concordiam. Jubilaei institutio an.* 1300. *Status Religionis indies corruptior. Theologi Scholastici. Superstitionum incrementa. Festum* Corporis Christi *institutum ab Urbano IV. an.* 1264. *Ordines Mendicantes. Liber Gulielmi de Sancto Amore, de* periculis novissimorum temporum. *Liber, cui titulus,*

tulus, Evangelium æternum. *Electionum Ecclesiasticarum vitia indies majora. Pragmatica Sanctio in Gallia instituta. Caussæ collapsæ Disciplinæ. Dictum Hugonis Card. de corruptis Clericorum moribus. Historici. Viri Docti. Doctores Judæi. Memorabilia quædam hujus Seculi.*

SÆCULUM XIII.

PErgunt Romani Pontifices Regibus atque Imperatoribus se formidabiles præstare; neque aliàs unquam plura aut majora hujus fastûs specimina videre liceat. Et ineunte quidem Sæculô, Romæ sedebat *Innocentius III.* antea *Lotharius* dictus, Anagnia, quæ Campaniæ civitas est, oriundus, Trasimundi Comitis Signini filius, vir pro temporum captu non indoctus, sed *super omnes mortales ambitiosus & superbus*, ut ait *Matthæus Parisiensis*, omnésque hujus Pontificis res gestæ clamant. Is

Innocentius III. Papa.

Is, anno 1199. *Philippo Augusto* Galliæ Regi, ob dimissam *Isemburgim* Regis Daniæ filiam, *Mariámque Agnetem* ejus loco ductam, anathema dixit, imò & toto Galliæ regno sacra fieri vetuit; neque antè destitit, justam quidem caussam, sed jure nullo, tyrannicâque ratione agere, quàm Philippus, rejectâ Agnete, Isemburgim recepisset; quod factum mediâ Quadragesimâ anni 1201. Circa idem tempus, hujus nempe Sæculi initiô, cùm *Philippus* Sueviæ dux, & *Otho* dux Saxoniæ, à sua quisque electus factione, de Imperio contenderent, Innocentius III., Othonis partes amplexus, fulmina in Philippum vibrare non destitit; Mox verò, mortuô Philippô, atque OTHONE consentientibus Principum suffragiis electô, ei quidem statim coronam Imperialem imposuit Innocentius an. 1209.; At, mutatô postmodùm animô, Othonem diris devovere, Imperio dejicere, ejúsque subditos fidei sacramento

Philippo Aug. Galliæ Regi anathema dicit.

Philippum Sueviæ Ducem, de Imperio contendentem, excommunicat.

Idem Pontifex excommunicat OTHONEM Imp.

mento exsolvere non dubitavit, an. 1211. Cui decreto respondit eventus, derelictô à Principibus ac fusô Othone, an. 1214. FRIDERICÔ verò Ænobarbi nepote Imperium adeptô. Verùm inter multa ab Innocentio adversùm Reges superbè gesta, eminet dissidium illud, quod ei cum *Johanne* Angliæ Rege, dicto *sine terra*, intercessit, in quo non minor Principis ignavia, quàm Papæ audacia sese prodidit. Scilicèt, defunctô Cantuariensi Antistite, annô hujus Sæculi sextô, in deligendo successore nata quædam altercatio est; hinc Monachis Cantuariensibus, illinc Episcopis ejusdem dioeceseos, jus electionis ad se trahentibus. Et illi quidem, nullâ morâ, inconsulto Rege, clanculùm coëunt; electúmque *Reginaldum*, Domûs suæ Subpriorem, ad confirmationem Pontificis impetrandam, Romam ablegant. Sed metuentes pòst paullò, ne, deficiente Regis consensu, irrita electio haberetur, ad novam electio-

Dissidium inter Innocentium III. & *Johannem sine terra*, Regem Angliæ.

Duplex electio ad Archiepiscopatum Cantuariensem.

Digitized by Google

electionem procedunt, *Johannémque* Norwicensem Episcopum, à Rege commendatum, eligunt; quem & Episcopi, eandem ob caussam, ab altera parte elegêre. His auditis, Pontifex neutram electionem ratam habet, sed à Monachis quibusdam Anglis, qui tum Romæ versabantur, *Stephanum Langton* Cardinalem, natione Anglum, Parisiensis Academiæ Cancellarium, eligi curat; missis interim ad Regem donis, margaritis nempe annulis inclusis, cum epistola ineptiis scatente, ut animum ejus demulceret. At Rex, facto indignatus, vehementes ad Pontificem literas scribit, quibus de illata sibi injuria gravissimè conqueritur, monétque se Regni sui libertates, adeóque Norwicensis Episcopi electionem, ad mortem usque defensurum; minatúrque, nî sibi satisfiat, »se omnibus Romam petentibus, »maris semitas angustaturum, ne »terra sua divitiis evacuata, ipse ad »hostes depellendos minùs sufficiat;

Neutram Papa ratam habet; sed *Stephanum Langton* Card. eligi curat.

Vivida Regis literæ ad Papam, an. 1208.

»cúmque non desint suo in Regno »Præsules eruditissimi, se justitiam »extra terras suas ab alienigenis non »emendicaturum.» Rescribens Pontifex, queritur quòd Rex *contumeliosè* & *protervè* ad se scripserit, quódque *frivolas occasiones prætendens*, Stephani Langton electioni intercesserit; eúmque quantis potest deprecationibus ac minis ad Romanæ Sedi parendum hortatur. Quæ cùm Regem nihil moverent, ad solita conversus arma, eum Papa excommunicat, totóque Angliæ regno sacra fieri prohibet: Quin & eò usque progreditur, ut Johannem solio indignum pronuntiet, ejus subditos jurata fide exsolvat, universum Clerum ac Populum in ipsum excitet, Philippum inprimis Galliæ regem, ad bellum ei inferendum, eúmque solio deturbandum, hortetur, susceptô etiam Crucis insigni, promissâque, quibuscunque ad hanc militiam se accingentibus, vel ei opes aut operam impendentibus, pecca-

Responsum Papæ.

Johannes Angliæ R. à Papa excommunicatus.

Anglia sub interdicto.

Papa Philippum Aug. Galliæ R. ad bellum Johanni indicendum excitat.

Digitized by Google

peccatorum remiſſione, non aliter quàm ſi de Domini ſepulcro viſitando ageretur. Ad hæc Johannes, frendere, minari, jurare *per dentes Dei* (quæ erat jurandi formula ei ſolemnis) »ſe univerſos Angliæ Prælatos, »imò & Clericos omnes ad Papam »miſſurum, eorúmque bona fiſco »addicturum; imò & quoſcunque »Romanos in Anglia repererit, Ro»mam, erutis oculis, naribúſque præ»ciſis, deſtinaturum.» Tandem verò fractus ac territus, ſibíque inprimis à Francorum rege bellum parante metuens, eò adductus eſt à Legato Romano Pandulpho, an. 1212. ut Regna Angliæ atque Hiberniæ Pontifici reſignaret; à quo illa deinde, tanquam Feudum Eccleſiæ Romanæ, & ſub tributi lege, recepit. Qua tamen fœda ſubmiſſione, neque pacem ſibi, nec regnis, ſed æternam potiùs infamiam, malorúmque iliada accerſivit; prout à *Matthæo Pariſienſi*, aliíſque illorum temporum Hiſtoricis, non ſine gra-

Johannes Regna Angliæ & Hiberniæ Pontifici reſignat; eáque ſub tributi lege recipit.

Digitized by Google

vissima atque justissima indignatione, refertur. Dum sic in Reges fureret Innocentius, etiam Pontificiæ addictos Sedi, non mirum si in *Albigenses* atque *Valdenses*, qui Romanas superstitiones tyrannidémque palàm arguebant, sævitum eo auctore fuerit. Missi qui in eos inquirerent. Excitati in eos Principes, inprimis Galliæ Rex *Philippus Augustus*. Institutæ, non tam iis erudiendis quàm illaqueandis, Collationes; qualis illa quæ ad *Montem regium* prope Carcassonam, an. 1206. habita est; Quibus cùm superari non possent, armis agi in eos cœpit. Ergo conscripti numerosissimi exercitus, Crux suscepta, promissæ Indulgentiæ, tantóque furore gestum bellum, ut aliquando ne ipsis quidem Catholicarum partium hominibus, qui cùm Albigensibus mixti erant, parceretur. Captæ *Biterræ*, *Carcassona*, *Castrum*, aliæque Albigensium sedes. *Raymundus* Comes Tolosanus, qui eorum partes tuebatur, ditioni-

Acta contra Albigenses & Valdenses.

Cruciata Expeditio contra Albigenses.

bus

Digitized by Google

bus suis exutus, eæque *Simoni* Comiti Montisfortis adjudicatæ. Denique tot editæ strages, tot vastationes, tot incendia, ut bellum atrocius atque immanius nunquam visum sit. Neque mitiùs cùm iis *Valdensibus*, qui per Galliam, Germaniam, Britanniam, aliásque oras, dispersi erant, agebatur; quorum multi comprehensi atque ultricibus flammis devoti sunt. Inter eos autem præcones, quorum studio excitata hæc militia est, fuit *Dominicus Guzman* Hispanus, qui Ordini *Prædicatorùm*, seu *Dominicanorùm*, ortum dedit; dum *Franciscus Assisius* Italus, Ordinem *Minoritarum* seu *Franciscanorum* instituerer: Ambo postea Divis adscripti; nec immeritò, si furor in innoxios, vel emotæ mentis deliria, sanctitatis loco habeantur. Et ab illo quidem Dominico erectum *Inquisitionis* Officium est, primùm quidem in Albigenses; deinde & in quosvis hæreticos: Quod institutum, Christiani dedecus nominis, imò &

Valdenses passim comprehensi atque combusti.

Ordd. Prædicatorum à *Dominico*, Minoritarum à *Francisco Assisio* instituti.

Officium *Inquisitionis* erectum.

Digitized by Google

humanæ naturæ probrum, ab Innocentio Papa, & Concilio Lateranensi confirmatum est. Habitum est Concilium hoc Lateranense IV. an. 1215. Adfuerunt Episcopi 412. Abbates & Priores penè 800. plurimique Regum ac Principum Oratores: Verùm id habuit tam numerosus Cœtus singulare, quòd, nullîus rogatâ sententiâ, Capitula 70. ab Innocentio composita, ejúsque jussu prælecta, in Canonum formam abierint. Primo habetur Fidei formula, quâ *Transsubstantiationis* doctrina, imò & nomen antea ignotum, traditur. Secundo, damnantur errores Abbatis *Joachimi*, qui subtilia quædam de Trinitate contra Lombardum disputaverat. Tertium de Hæreticis excommunicandis, & in manus Potestatum Sæcularium tradendis agit, additâ pœnâ anathematis, imò & exauctorationis, adversùs Principes qui illos de terris suis exterminare neglexerint. Capit. 21. Confessio Auricularis primùm

Concil. Later. IV. Oecum. an. 1215.

Capit. 1. Transsubstantiatio primùm sancita.

Capit. 3. de Hæreticis excommunicandis & ad pœnam tradendis.

Cap. 21. Confessio

Digitized by Google

mùm imperata. Capit. 43. immunitas Clericorum stabilita. Capit. 50. Consanguinitatis gradus, matrimonium impedientes, ineptissimis de caussis ad quaternarium numerum referuntur. Denique de Bello Sacro ad Palæstinam recupèrandam instaurando, quæ fuerat occasio Concilii, non pauca sancita sunt. Porrò, defunctô anno sequenti Innocentiô Papa, eadem consilia à successoribus, *Honorio III. Gregorio IX.*, aliisque, haud remissioribus animis promota sunt. Renovatæ cum FRIDERICO II. Imperatore lites; isque, Gregorii anathematibus, ad Bellum Sacrum procedere coactus: mox receptis Hierosolymis, cùm ob turbas ab ipso Pontifice in Italia excitatas reditum maturâsset, novis diris exceptus est. Atque inde atrox in Italia bellum, quô Gregorius, cùm fuisset inferior, Romáque capta ac vastata esset, mœrore confectus obiit an. 1241. Vigebant per ea tempora, in Italia præsertim, *Guelpho-*

Auricularis primùm imperata.

FRIDERICUS Imp. à Gregorio IX. excommunicatus.

Bellum inter Imperatorem & Papam.

Digitized by Google

Guelphi & Gibellini. rum qui Pontificis, & *Gibellinorum* qui Imperatoris partes ſequebantur, factiones: quorum iræ atque certamina utramque hujus Sæculi & ſequentium paginam implent. Cùm verò Sedes Pontificia toto ferè vacâſſet biennio, ad eam evectus *Innocentius IV.* nihilo mitiùs in Fridericum Imp. ſe geſſit; ſed, convocatô Conciliô Lugdunenſi I. an. 1245. eum diris iterùm devovit, eique abrogavit imperium; unde *Henricus* Haſſiæ & Thuringiæ Landgravius, deinde &, hôc mortuô, *Gulielmus* Hollandiæ Comes, Imperatoris titulo ornati ſunt. Quæ inter, Fridericus, tot jactatus turbis, atque in Italia cum Guelphis confligtans, à Manfredo filio notho, admoto pulvinari, ſuffocatus eſt, an. Imperii 32. hujus Sæculi 50. Inſequenti tempore, novæ de Imperio, tum inter *Conradum* Friderici filium, & *Gulielmum* Hollandum, tum poſtea inter *Ricardum* Regis Angliæ fratrem, & *Alphonſum* Regem Caſtiliæ, concer-

Innocentius IV. P.

Concil. Lugd. I. Oecum. an. 1245.

Friderici Imp. obitus.

Novæ de Imperio & Regno Siciliæ lites.

Digitized by Google

certationes fuerunt: Fuêre & dissidia de Siciliæ regno, inter *Conradinum* filium Conradi, & *Carolum Andegavensem* Ludovici Galliæ Regis fratrem: Quibus omnibus sese immiscere, coronásque pro lubitu donare ac transferre, pro solita sua superbia Romani Pontifices non destiterunt: Verùm ut hæc fusè diducantur, compendii nostri ratio non sinit. Hoc unum omittendum non est, ausis illis Romanorum Pontificum, tum eos Principes quorum res agebatur, tum etiam Præsules non paucos, vehementer obstitisse: Qua de re vividissima exstant Friderici Imp. & Germanorum Episcoporum Scripta, Romanam superbiam atque tyrannidem graphicè describentia. Bellum Sacrum, impellentibus Pontificibus atque Conciliis, pluries hoc Sæculo instauratum est; putà an. 1218. ducibus *Andrea* Hungariæ rege, & *Leopoldo* Austriæ duce; an. 1228. duce *Friderico II.* Imperatore, qui Hierosolymam, inito

Ausis Romanorum Pontificum multi obsistunt.

Bellum Sacrum infelix.

cum

cum Saracenis fœdere, recepit; an. 1248. duce *Ludovico IX.* Galliæ rege, qui Sancti nomen meruit; iterùm an. 1270. ab eòdem Ludovico, qui vulgatâ per exercitum lue ad Tunetum in Africa exstinctus est. Verùm expeditiones illæ omnes parùm prosperè cessêre: Tandémque an. 1291. amissis omnibus quæ capta fuerant, ab iis ulteriùs suscipiendis planè cessatum est. Captam à Francis Venetísque, ad bellum Sacrum se accingentibus, Constantinopolim, ibíque Latinum Imperatorem constitutum, *Balduinum* Flandriæ Comitem, Græcis interim Nicæam Bithyniæ Imperii sedem transferentibus, hujus Sæculi primordia viderunt. Sed anno 1261. à MICHAELE PALÆOLOGO, Imperatore Græco, Constantini urbs recepta, Latinorúmque imperio finis allatus. Hæc inter, tentata non semel Græcæ Romanæque Ecclesiæ concordia, sub *Innocentio III. Gregorio IX. Alexandro IV.* omnium verò maximè *Michaëlis Palæologi*

Belli Sacri finis, an. 1291.

Constantinopolis à Latinis capta, Imperiúmque ibi fundatum an. 1204.

recepta à Græcis an. 1261.

Tentata Ecclesiæ Græcæ cum Romana concordia.

Digitized by Google

leologi temporibus, qui à *Carolo* Siciliæ rege ſibi metuens, Romanorúmque ſibi conciliaturus gratiam, Legatos ad *Urbanum IV.* de concordia acturos miſit, ad quam ſe non promptum modò, ſed & juſto faciliorem præbuit. Quamobrem, variis actis atque ſcriptis ultrò citróque, tandem in Concilio Lugdunenſi II. ſub *Gregorio X.* anno 1274. non tam fœdera pacis inita, quàm ad Latinorum arbitrium omnia compoſita ſunt. Sed pacem ſubdolam ætas altera non tulit; quippe quæ, ſub ANDRONICO Michaëlis filio & ſucceſſore, pulsô *Johanne Veccô* Patriarchâ, reſtitutôque *Joſephô*, ſolemni judicio à Græcis rejecta eſt. Habitum hac de re Concilium, in Palatio Conſtantinopolitano *Blachernarum* dicto, an. 1284. quô Veccus cæteríque concordiæ promotores damnati ſunt. Capita diſſensûs eadem quæ ſuprà; in primis primatus Papæ, proceſſio Spiritûs S. à Patre *Filióque*, atque azyma. Pro con-

Concil. Lugd. II. Oecum. an. 1274. quô pax cum Græcis inita.

Concordia à Græcis rejecta, in Conc. Conſtant. an. 1284.

Digitized by Google

Scriptores Græci pro & contra concordiam. cordia scripsère *Joh. Veccus*, *Georgius Metochita*, *Constantinus Meliteniota*, &c. Contra concordiam *Theodorus Lascaris* Imp., *Gregorius Cyprius*, *Georgius Moschamper*, aliíque. **Jubilæi institutio an. 1300.** Ultimum Sæculi annum *Jubilæi* Pontificii institutio nobilitavit, auctore *Bonifacio VIII.* Pontifice, à quo amplissimæ promissæ Indulgentiæ iis qui limina Apostolorum salutare, præcipuásque Romæ basilicas invisere non gravarentur: qua de causa, Romæ ingens populorum concursus fuit. **Status Religionis indies corruptior.** De Theologia, Sacrorúmque ritibus, piget verba facere, quæ deteriora & inquinatiora indies facta sunt. **Theologi Scholastici.** *Theologorum* à *Schola* dictorum agmen ingens hoc Sæculo exstitit; purà *Alexander Halesius*, *Albertus Magnus*, *Thomas Aquinas*, *Bonaventura*, *Henricus Gandavensis*, *Gulielmus Durantes*, *Gulielmus Parisiensis*, *Ægidius Columna*, *Ricardus de Mediavilla*, aliíque; qui quidem non tam ad Scripturæ normam, quàm ad mentem Aristotelis,

Digitized by Google

telis, de rebus divinis commentati sunt. Novorum Sanctorum, reliquiarum, rituum, festorum, quotidie crescebat numerus: Quæ inter, memoratu præ cæteris dignum est Festum *Corporis Christi*, ab *Urbano IV.* Pontifice, an. 1264. institutum; occasione visorum quorumdam, quæ Moniales Leodienses, *Juliana* atque *Eva*, sibi cœlitùs obtigisse fabulabantur. Ordinum quoque Monasticorum, *Mendicantium* inprimis, feracissimum hoc Sæculum fuit; magnô Reipublicæ Christianæ damnô, nec unâ hinc in Ecclesiis & Academiis exortâ lite: Unde pullulantibus Familiis illis modum quendam ponere, multásque abrogare, Concilium Lugdunense II. necesse habuit. Verùm suis illis mancipiis & satellitibus favebat Roma, neque illorum vitia redargui facilè patiebatur. Sensit id *Gulielmus de Sancto Amore*, Parisiensis Doctor, cujus Liber de *Periculis novissimorum temporum*, acerrimè statim damnatus est; dum

Superstitionum incrementa.

Festum *Corporis Christi* inst. ab Urbano IV. an. 1264.

Ordines Mendicantes.

Liber Gulielmi de Sancto Amore, de *Periculis novissimorum temporum*.

dum é contrario propudiosus Monachi cujusdam fœtus, cui titulus *Evangelium æternum*, vel *Evangelium Spiritûs S.*, in Christum & Apostolos contumeliosissimus, nonnisi ægrè, imò & clanculùm à Pontifice damnari potuit. In Electionibus Ecclesiasticis, conferendísque Beneficiis, fœda jamdudùm nundinatio vigebat; hinc Principibus, illinc verò Papis jura omnia ad se trahentibus. Quibus emendandis vitiis, speciatim verò moderandis Romanæ Curiæ exactionibus, non paucæ hoc Sæculo Leges, in Regnis, & Conciliis, factæ sunt: qualis *Pragmatica* illa *Sanctio*, quam in Gallia Rex *Ludovicus*, cognomento *Sanctus*, instituit: sed hæc imbecilla nimiùm, neque paria malis remedia fuêre. Christianam omnem Disciplinam, emendandis moribus natam, ineptæ illorum temporum devotiones, prava Sacerdotum exempla, Bella Sacra, Indulgentiæ, tandémque Confessionis privatæ institutio, pessumdede-

Liber dictus, *Evangelium æternum*.

Electionum Ecclesʃ. vitia indies majora.

Pragmatica Sanctio in Gallia instituta.

Caussæ collapsæ Disciplinæ.

dederunt. Morum quanta depravatio fuerit, præcipuè apud Clericos, doceat vel unus *Hugo* Cardinalis, cujus hoc effatum traditur; „Diabolum duas habere filias, Avaritiam & Luxuriam; Illam Judæis, hanc Ethnicis olim elocâsse; nunc verò Clericos & Sacerdotes utramque suis viris eripuisse, & sibi propriasꞏ habere.„ Historici hac ætate non incelebres; inter Græcos, *Nicetas Choniates*, *Georgius Acropolita*, *Georgius Pachymeres*, &c; inter Latinos, *Conradus à Lichtenau* Abbas Urspergensis, *Matthæus Parisiensis*, *Martinus Polonus*, &c; inter Arabes, *Gregorius Abulpharagius*, cujus *Historia Dynastiarum* Arabicè & Latinè à Pocockio edita exstat. Neque alii desunt hoc Sæculo Disciplinis clari; ut *Petrus de Vineis*, Friderici II. Imperatoris Cancellarius, qui ejus jura adversùs Romanum Pontificem strenuè defendit; *Gulielmus de Sancto Amore*, de quo suprà, Monachorum castigator acerrimus;

Dictum Hugonis Card. de corruptis Clericorum moribus.

Historici.

Viri Docti.

rimus; *Robertus Sorbona*, Collegii Sorbonici apud Parisios fundator; *Johannes de Parisiis*, Regiæ potestatis contra Papam assertor, & cujus *determinatio de modo quo Corpus Christi existit* in Eucharistia, non per transsubstantiationem, sed per assumptionem substantiæ panis in Verbo (quæ fuerat sententia *Johannis Damasceni*) à Doctoribus Parisiensibus illius ævi minimè damnata est; *Rogerus Baconus*, *Robertus Grosthead*, sive *Capito*, Anglus uterque; *Raymundus Martini*, Catalaunus, qui *Pugionem fidei* contra Judæos & Mauros edidit; *Raymundus Lullus*, Majoricensis, magni vir nominis, sed ambiguæ famæ; atque ille Castellæ Rex, Astronomiæ peritia celeberrimus *Alphonsus*.

Doctores Judæi.

Judæis, quanquam pressis passim & vexatis, sui etiam non obscuri Doctores fuêre; putà *R. Moses ben Nachman*; *R. Meïr*; *R. Ascher*; *R. Bechaï*; *R. Levi ben Gersom*; *R. Schem Tof*, aliique.

Memorabilia quædam hujus Sæculi.

Cætera hujus Sæculi Memorabilia, velut

lut *Tartarorum* excursiones & vastationes; *Saracenorum* clades in Hispania, quibus tandem præter Granatense regnum nihil superfuit; Domûs *Austriacæ* ad Imperium accessionem, in *Rodolpho Habspurgico*, an. 1273.; *Vesperas Siculas*, sive horrendam Gallorum in Sicilia stragem, ipso Paschatis vespere an. 1282.; hæc, inquam, & alia ejusdem generis, hujus non est loci enarrare.

Summa Capita

SÆCULI XIV.

Bonifacius VIII. *Ejus dissidium cum* Philippo Pulchro *Galliæ Rege. Bonifacius vetat tributa Clericis imponi, absque Romanæ Sedis consensu. Philippus vetat ne pecuniæ extra Regnum transferantur. Jubilæum quàm superbè à Bonifacio celebratum. Bulla Bonifacii contra Philippum Pulchrum. Responsum*

Regis ad eam Bullam. Bulla Bonifacii, Unam Sanctam. *Bonifacius Philippum Galliæ R. excommunicat. Accusationes contra Bonifacium. A Papa ad Concilium provocatur. Bonifacius à Nogareto captus & malè habitus. Moritur an.* 1303. *Acta Bonifacii à successoribus rescissa.* Clemens V. *Sedem Pontificiam Avenionem transfert. Ordo* Templariorum *exstinctus. Crimina iis impacta. Comprehensi, & suppliciis affecti. Concilium Viennense an.* 1311. *quô Templariorum Ordo abolitus.* Johannes XXII. LUDOVICUM BAVARUM *Imp. excommunicat. Bulla Johannis XXII. contra Ludovicum Bavarum. Responsum Ludovici Bavari ad illam Bullam.* Nicolaus V. *Antip. Controversia inter Franciscanos de forma cucullarum & togarum. Multi eam ob rem combusti. Alia Controversia, de bonorum proprietate. Pugnantes Pontificum hac de re sententiæ. Johannes XXII. Franciscanis*

Digitized by Google

nis adversatus, eisque invisus. Excommunicatio Ludovici Bavari Imp. *à* Benedicto XII. *&* Clemente VI. *confirmata.* CAROLUS IV. *Imp. Sedes Pontificia à* Gregorio XI. *Romam reducta. Schismatis initium, an.* 1378. *Urbanus VI. Romæ, Clemens VII. Avenione, simul Pontifices.* Bonifacius IX. *Romæ. Benedictus XIII. Avenione. Gallia utriusque Pontificis obsequio se subtrahit. De* Johanne Wiclefo. *Ejus doctrina, fautores, & adversarii. Præfectura Collegii donatus, an.* 1365. *eadem submotus an.* 1367. *Fuit unus é Legatis Regiis ad Papam missis, an.* 1374. *Wiclefus accusatur an.* 1377. *Synodus Londinensis hujus anni eum non damnat. Damnata Wiclefi doctrina in duabus Synodis, Londinensi & Oxoniensi, an.* 1382. *Duplex ejus Confessio de Sacramento Altaris. Moritur an.* 1387. Wiclefitæ, Lollardi. *Scriptura S. à Wiclefo Anglicè versa. Multa ei per calum-*

niam afflicta. De Ecclesia Græca. Simulatus cum Latinis consensus. Barlaamitæ, Palamitæ. *Scholastici. Superstitionum progressus. D.* Catarina. *D.* Brigitta. *Jubilæum an.* 1350. *Exactiones Curiæ Romanæ. Dissidia Monachorum cum Ordinariis. Inquisitio in Valdenses, aliósque pro hæreticis habitos. De Judæis. Viri Docti. Memorabilia Sæculi XIV.*

SÆCULUM XIV.

Bonifacius VIII.

BOnifacio *VIII.*, antea *Benedicto Cajetano* dicto, qui post abdicationem decessoris sui *Celestini V.* Romanam Sedem invaserat, an. 1294. gravissimum, tum superiori desinente Sæculo, tum hoc ipso ineunte, cum *Philippo Pulchro* Galliarum rege dissidium fuit. Cùm enim Pontifex supremam sibi, non in spiritualibus modò, sed & in temporalibus, auctoritatem arrogaret; datâque Bullâ vetuisset, ne tributum ullum,

Ejus dissidium cum *Philippo Pulchro* Galliæ rege.

Bonifacius vetat

ullum, absque consensu Romanæ Sedis, Clericis imponeretur, vel impositum penderetur, ausis illis magno animo restitit Philippus; vicissímque, ne pecuniæ ullæ extra Regnum suum transportarentur, prohibuit. Exardet Pontifex; vetitúmque illud, si ad Clericos extendatur, temerarium, imò & stultum, atque anathemate dignum pronuntiat: Verùm sua Regníque jura adversùm hæc Scripto publico defendit Philippus. Tunc temporis, annô nempe trecentesimô supra millesimum, dum institutum à se Jubilæum celebraret Bonifacius, suæ specimen superbiæ, arreptíque in Reges imperii, in oculis omnium posuit: Nam die quidem primo, in Pontificalibus, populo benedixit: At postero die, Imperatoris habitu, gladium ante se nudatum deferri jussit, his prolatis vocibus, *Ecce duo gladii hîc*; quibus duplicem potestatem, spiritualem & temporalem, sibi datam significabat. Anno sequenti, novis

tributa Clericis imponi, absque Romanæ Sedis consensu. Philippus vetat ne pecuniæ extra Regnum transferantur.

Jubilæum quàm superbè à Bonifacio celebratum.

Digitized by Google

Bullis arrogantiæ pleniſſimis, contra Philippum furit Bonifacius. Una talis erat. *Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Philippo Francorum regi. Deum time, & mandata ejus obſerva. Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & prebendarum ad te collatio nulla ſpectat; & ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, fructus eorum ſucceſſoribus reſerves. Et ſi qua contuliſti, collationes tales irritas decernimus, & quantum de facto proceſſerunt, revocamus. Aliud credentes hæreticos reputamus. Datum Laterani &c.* Quid verò Rex? Nempe Bullam illam publicè cremari jubet; ſimúlque Regni Ordines convocat; Qui, ſe nullum alium dominum præter Regem agnoſcere, Regníque jura ac libertates ad mortem uſque defenſuros, pollicentur. Mox Philippus ad Bullam Bonifacii, pari brevitate, nec minùs acri ſtylo, reſpondet. *Philippus Dei gratia Francorum rex, Bonifacio ſe gerenti*

Bulla Bonifacii contra Philippum Pulchrum.

Reſponſum Regis ad eam Bullam.

renti pro summo Pontifice, salutem modicam, seu nullam. Sciat maxima tua fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse; Ecclesiarum & prebendarum collationem ad nos jure regio pertinere, & fructus earum vacatione durante nostros facere. Collationes à nobis hactenus factas, & in posterum faciendas, fore validas; & illarum vigore, possessores contra omnes viriliter nos tueri: Secùs autem credentes, fatuos & dementes reputamus. Datum Parisiis &c. Interim Bonifacius, à proposito neutiquam desistens, contrà magis exacerbatus, famosam illam Bullam, quæ *Unam sanctam* incipit, promulgat; quâ *duplicem gladium*, seu duplicem potestatem, spiritualem & temporalem, Ecclesiæ competere sancit; qui secùs sentiunt, quasi duo cum Manichæis principia statuerent, damnat; denique *subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, de necessitate salutis esse* decernit. Quæ quidem Bulla Juri Canonico inserta est

Bulla Bonifacii, *Unam Sanctam.*

Digitized by Google

Extravag. Commun. Lib. I. Tit. de *Majoritate & obedientia.* Igitur, cùm cedere Philippus nollet, eum Pontifex ſacris interdicit, eóſque ſive Presbyteros ſive Epiſcopos, qui ei ſacra miniſtrarent, pariter excommunicat. Hæc inter, *Gulielmus Nogaretus*, quem Philippus Rex Romam ablegaverat, à Pontifice malè habitus, factâ in ejus vitam atque mores inquiſitione, eum, apud Regem Regníque Proceres, graviſſimorum ſcelerum accuſat; putà, quòd non eſſet legitimus Pontifex, vivo deceſſore per vim & fraudem intruſus; quòd eſſet hæreticus, ſimoniacus, deprædator Eccleſiarum, tyrannidis, exactionum, ac blaſphemiarum reus, &c. Quæ accuſationes cùm lectæ atque confirmatæ in Ordinum conventu eſſent, à Bonifacio ad Concilium ea de cauſa cogendum, futurúmque Pontificem, provocatum eſt. Neque dictis ſolùm, ſed & factis, caſtigatur ejus arrogantia: Quippe Nogaretus, adjunctis ſibi Co-

Bonifacius Philippum Galliæ R. excommunicat.

Accuſationes contra Bonifacium.

A Papa ad Concilium provocatur.

Bonifacius à Nogareto

Digitized by Google

Columnenſium nonnullis (quæ familia Bonifacio inimiciſſima erat) Anagniam, ubi tum Pontifex verſabatur, petit; expugnatôque Caſtellô, Papæ theſauros expilat, eúmque captivum ducit; Imò verò chirothecâ ferreâ, ſeu à Nogareto ipſo, ſeu, ut alii tradunt, à Sarra Columna, graviſſimus ei colaphus impoſitus eſt. Mox ab Anagnenſibus popularibus ſuis liberatus Romam rediit, ubi ex mœrore & rabie obiiſſe fertur, Octobri menſe an. 1303. Unde pervulgatum de illo eſt, *quòd intraverit ut vulpes, regnaverit ut leo, & exſtinctus ſit ut canis.* Huic ſuffectus *Benedictus XI.* Benedicto *Clemens V.* à quorum utroque Acta Bonifacii in Philippum reſciſſa ſunt. Ab hoc Clemente Sedes Pontificia Avenionem tranſlata eſt, quæ ibi annis hæſit ſeptuaginta. Idem Pontifex, junctis cum Philippo Galliæ Rege conſiliis, *Templariorum* Ordinem, inde ab annis propè ducentis inſtitutum, opi-

captus & malè habitus.

Moritur an. 1303.

Acta Bonifacii à ſucceſſoribus reſciſſa.

Clemens V. ſedem Pontificiam Avenionem transfert.

Ordo *Templariorum* exſtinctus.

bus verò atque potentia ad invidiam auctum, durissimis judiciis exstinxit. Cùm enim gravissima scelera, imò & fidem superantia, iis impacta essent; putà, quòd in Ordinem cooptati Christum abnegarent, atque in imaginem crucifixi ter inspuerent; quòd caput ligneum auro obductum adorarent; quòd omni cum mulieribus consuetudini nuntio misso, masculam venerem pro licita haberent; quòd si quis Templarius rem cum virgine habuisset, puerum inde natum cremarent, & ex ejus adipe idolum suum inungerent; &c, seu crimina illa vera fuerint, sive in eorum invidiam conficta, (quod à veri specie non prorsùs abhorret) omnes, statutô die, primùm in Gallia, deinde & per Angliam, Hispaniam, Italiam, comprehensi, ac de plurimis sumptum supplicium, annis 1307. & sequentibus; annô verò 1311. in Concilio Viennensi, eam præcipuè ob caussam congregato, Ordo ille antiquatus est. Multi

Crimina iis impacta.

Comprehensi, & suppliciis affecti.

Concil. Vienn. an. 1311. quô Templa-

ti tormentis adacti, vel promissâ impunitate, scelera confessi sunt: Sed multi contrà suam & sociorum innocentiam ad ultimum usque spiritum asseruêre. Bona eorum, quæ immensa per totam Europam erant, partim *Hospitalariis*, vel aliis Ordinibus adscripta, partim in fiscum relata sunt. Mortuô Clemente V. an. 1314. magnum inter Cardinales sententiarum divortium fuit, Italis Italum, Gallis Gallum fieri Pontificem exoptantibus: nec nisi interjectô bienniô, in *Johannem XXII.* consensêre. Is acerrimam *Ludovico Bavaro* Imperatori litem intentavit, eíque anathema dixit, eo quòd, suâ adprobatione non expectatâ, insignia Imperii sumpsisset. Verùm superbissimæ Johannis Bullæ, quâ Imperatoriam dignitatem Romani Pontificis beneficium esse contendebat, Scriptum vividissimum & audacissimum opposuit Ludovicus, quô Johannem *sævissimum lupum, discordiarum ac seditionum auctorem, Antichristum*

riorum Ordo abolitus.

Johannes XXII.

LUDOVICUM BAVARUM Imp. excommunicat.

Bulla Johannis XXII. contra Ludov. Bavar.

Responsum Ludov. Bavari ad illam Bullam.

Digitized by Google

chriſtum, *hæreſiarcham*, imò & *Satanam* vocat. Unde & Populo novi eligendi Pontificis poteſtatem fecit, qui fuit *Petrus de Corbario*, dictus *Nicolaus V.*; ſed hic poſtmodùm comprehenſus, atque in manus Johannis traditus eſt. Sub hoc Johanne XXII. non illepidæ inter Franciſcanos diſceptationes fuerunt: Una, de forma Cucullarum atque Togarum, quas alii laxiores atque ampliores, alii anguſtiores volebant; Illi *Conventuales*, iſti *Spirituales* dicebantur. Et iſti quidem ita obfirmato pro ſuis Cucullis animo erant, ut plurimi duriſſimum carcerem, nonnulli etiam ignis ſupplicium ea de cauſſa tolerarint; dubium facientes, ſua pertinacia, an Præpoſitorum crudelitas major fuerit. Altera Controverſia fuit de rerum quibus Franciſcani utuntur, quáſque abſumunt, proprietate; Nam illi quidem proprietatem omnem à ſe amoliebantur; in eóque Evangelicæ paupertatis perfectionem ſtatuebant: quod & Pontifi-

Nicolaus V. Antip.

Controverſia int. Franciſcanos de forma cucullarum & togarum.

Multi eam ob rem combuſti.

Alia Controverſia, de bonorum proprietate.

tifices non pauci, *Gregorius IX. Innocentius IV. Nicolaus III. Martinus IV. Nicolaus IV.* denique *Clemens V.* iteratis decretis confirmaverant. At verò alia Johannis XXII. mens fuit; nempe, in rebus quæ absumuntur, usum à proprietate sejungi non posse; illúdque paupertatis genus, quod in abjicienda proprietate, retento usu, situm est, Christo & Apostolis ignotum fuisse, denique hæreticum esse asserere, Christum omni jure atque dominio, in res quibus utebatur, caruisse. Hæc Johannes XXII. Quo nomine invisum sese Franciscanorum Ordini præstitit; ídque ipsi, tum à Ludovico Bavaro Imperatore, tum ab aliis adversariis, in gravissimæ hæreseos loco positum est. Porrò latam à Johanne XXII. in Ludovicum Bavarum excommunicationis sententiam, ejus successores, *Benedictus XII. & Clemens VI.* confirmârunt; & eo quidem successu, ut tandem ab Electorum parte alius creatus sit Imperator, pugnà

Pugnantes Pontificum hac de re sententiæ.

Johannes XXII. Franciscanis adversatus, eísque invisus.

Excommunicatio Ludovici Bav. Imp. à *Benedicto XII. & Clemente VI.* confirmata.

Caro-

CAROLUS IV. Imp.

CAROLUS IV. cui Ludovicus tum temporis mortuus (anno nempe 1347.) vacuum locum reliquit. Inclinante Sæculô, anno nempe 76. exeunte, *Gregorius XI.* Sedem Pontificiam Avenione Romam reduxit, eò, ut ferunt, monitis D. Catarinæ Senensis impulsus. Nec multò pòst, hôc mortuô Pontifice, an. 1378. gravissimum Schisma exortum est, quod totis 50. annis, summo cum Ecclesiæ damno & dedecore, viguit. Cùm enim ex Cardinalibus qui Romæ aderant, Italum Itali, Gallum Galli Pontificem vellent, Romaníque, non precibus modò, sed & minis agerent, ut ne alius quàm Romanus eligeretur; tumultuariò, nec nisi leniendæ plebi, *Bartholomæum Pregnanum*, Barrensem Archiepiscopum, electum esse disseminatum est; Qui quidem electionem suam, quanquam non seriam, ratam esse voluit, dixítque se *Urbanum VI.* Ex adverso, Cardinales, ad alium eligendum congregati, *Robertum* Cardinalem

Sedes Pontificia à *Gregorio XI.* Romam reducta.

Schismatis initium an. 1378.

Urbanus VI. Romæ, *Clemens VII.* Ave-

dinalem Genevensem, Amedei Comitis Genevensis fratrem, Papam constituunt, qui se *Clementem VII.* vocat. Urbanus Romæ, Clemens Avenione, sedem fixêre: Quos inter, mutuá anathemata, scissúsque studia in contraria Christianus Orbis. Pro Urbano stabat Italia penè omnis, Germania, Anglia, Suecia, Dania, Polonia, & Comes Flandriæ. Clementi adhærebat Gallia, Scotia, Johanna Neapolitana, Dux Lothatharingiæ, Comites Sabaudiæ & Gebennensis. Neque verò, mortuis illis Papis, restituta concordia est. Etenim mortuo Urbano an. 1389. *Petrus de Thomacellis*, dictus *Bonifacius IX.* mortuo verò Clementi an. 1394. *Petrus de Luna*, seu *Benedictus XIII.* à sua quisque factione suffecti sunt. Et multa quidem componendo Schismati proposita: Quæ cùm nihil promoverent, ob Contendentis utriusque, in retinendo Pontificatu, etiam contra promissa, pertinaciam; Galliæ regnum, auctori-

bione simul Pontifices.

Bonifacius IX. Romæ.

Benedictus XIII. Avenione.

Gallia utriusque Pontificis obsequio se subtrahit.

toribus Universitatis Parisiensis Doctoribus, de utroque deserendo Pontifice, neutríque obtemperando, consilium cepit: Quæ subtractio obedientiæ, an. 1398. publicata, per plures annos, variis intervallis, perstitit, quemadmodum ad Sæculum sequens dicemus. In Anglia, inde ab anno hujus Sæculi 60. floruit doctrinæ laude *Johannes Wiclefus*, Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, mox & Ecclesiæ Lutterworthiensis in Diœcesi Lincolniensi Rector: Qui cùm multa liberè admodum, contra receptas opiniones, Clericorum vitia, Curiæ Romanæ tyrannidem, Monachorúmque Mendicantium omnia ad se trahentium audaciam, tum voce, tum scriptis doceret, multos quidem patronos ac discipulos, in Aula, Clero, Populóque habuit; sed & multorum, præsertim inter Monachos, eorúmque fautores, iram atque odium in se concitavit. Anno 1365. à *Simone Islib*, Archiepiscopo Cantuariensi, præfectura

De Johanne Wiclefo.

Ejus doctrina, fautores, & adversarii.

fectura Collegii Cantuariensis apud Oxonium donatus est: sed biennio pòst, ab ea est submotus à *Simone Langham* Islibii successore, qui eam Monacho cuidam dedit: A quo judicio cùm Wiclefus ad Papam provocâsset, qui tum erat *Urbanus V.* is nihilo in Wiclefum æquior, Archiepiscopi sententiam ratam habuit. Quanti autem tunc ab ipso Rege *Edwardo III.* fieret Wiclefus, vel id unum indicio sit, quòd inter Legatos regios ad Papam missos an. 1374. nomen ejus compareat. An. 1377. gravis ipsi lis de doctrina moveri cœpit, à *Simone Sudburio* Archiepiscopo Cantuariensi, qui *Gregorii XI.* Romani Pontificis excitatus litteris, Synodum Londini hac de re habuit: Sed Wiclefus, Ducis Lancastriæ aliorúmque Procerum præsidio, tunc temporis indemnatus abiit. Verùm, remotò quibusdam pòst annis à Regni administratione Lancastriæ Duce; resumptum majoribus animis à *Gulielmo de Courtenai* Ar-

Præfectura Collegii donatus, an. 1365. eadem submotus an. 1367.

Fuit unus é Legatis regiis ad Papam missis an. 1374.

Wiclefus accusatus an. 1377.

Synodus, Londinensis hujus anni eum non damnat.

N chie-

Damnata Wiclefi doctrina in duabus Synodis, Londin. & Oxon. an. 1382.

chiepiscopo Cantuariensi, Wiclefi negotium est, an. 1382. ejúsque doctrinâ in duplici Synodo, altera Londini, altera Oxonii, discussâ, novem quidem capita ut hæreses, quindecim ut errores damnata sunt; ipsô interim, sive patronorum favore, sive quòd sua negâsset vel ejurâsset dogmata, Ecclesiæ suæ redditô. Certè, cùm hæresium ipsi adscriptarum hæc primaria sit, quòd veritatem Corporis Christi in Sacramento Altaris negare diceretur, habetur duplex ejus Confessio, una brevior, altera prolixior; sed quarum utrâque, non *Transsubstantiatio*, sed potiùs *Conssubstantiatio* docetur; additúrque, partem Cleri maximam, eandem sententiam tenuisse, eámque defendere ipso vitæ dispendio paratam fuisse. Quidquid sit, obiit Lutterworthiæ ex paralysi Wiclefus, diè ultimo anni 1387. scriptis ingenti numero Libris, innumerísque relictis Discipulis, qui *Wiclefitæ* ac *Lollardi* dicti, longè latéque dissemi-

Duplex ejus Confessio de Sacramento Altaris.

Moritur an. 1387.

Wiclefitæ, *Lollardi*.

nati

nati ſunt, graviſſimáſque vexationes pertulerunt. Excitabat auditores ſuos ad Scripturæ ſtudium Wiclefus, quam & propterea in Anglicam linguam converterat. Vir erat, vel fatentibus ejus Adverſariis, doctrinæ non vulgaris, Theologiæ Scholaſticæ quæ tum vigebat peritiſſimus, & diſputandi ſolertia nulli ſecundus: In quo, quanquam Scholaſticis impeditus tricis, Sæculíque tenebris nondum diſcuſſis, de quibuſdam minùs rectè ſenſerit, non dubium tamen quin multæ ex hæreſibus ipſi adſcriptis, veluti hæc, *quòd Deus debet obedire diabolo*, & hæc, quòd *quidlibet eſt Deus*, &c. per calumniam confictæ, vel odioſis ſaltem illationibus ex ejus principiis deductæ ſint.

Scriptura S. à Wiclefo Anglicè verſa.

Multa ei per calumniam afficta.

Afflictæ Græcorum res, totô hôc Sæculô, Turcis eos aſſiduè vexantibus: Quæ res Imperatores illos ad Latinorum opem confugere, eúmque in finem conſenſum quendam cum Eccleſia Latina præ ſe ferre, non ſemel fecit: Quod factum ab

De Eccleſia Græca.

Simulatus cum Latinis conſenſus.

Digitized by Google

ANDRONICO juniore, an. 1339. missô in Occidentem *Barlaamô*; deinde & à JOHANNE PALÆOLOGO, qui ipse in Italiam venit an. 1369. Fideíque professionem ad mentem Latinorum edidisse fertur: Verùm hæ meræ artes erant, neque ad Græcos Latinis conciliandos quidquam valuêre. Ipsi interim inter sese inanibus vacabant dissidiis; qualia fuêre inter *Barlaamitas* & *Palamitas*, de luce quadam increata, modo orationis, aliísque capitibus. In Occidente, Doctorum *Scholasticorum* immensus ordo; *Johannes Duns Scotus*, à quo *Scotistæ*, *Thomistis* oppositi; *Gulielmus Ockam*; *Durandus de S. Porciano*; *Johannes de Janduno*; *Thomas de Argentina*; *Petrus Aureolus*; *Robertus Holkot*; *Thomas Bradvardinus*; *Gregorius de Arimino*, &c. qui omnes, humanis argutiis, & malè sana subtilitate, rem Christianam, planam per se ac facilem, obscurare non destiterunt. Subinde tamen, seu vi veritatis, seu quòd aliæ rationes accederent, de nonnullis

Barlaamitæ; Palamitæ.

Scholastici.

Digitized by Google

lis capitibus ſaniora quàm vulgus ſentiebant; ut, cùm multi panem Eucharisticum poſt conſecrationem remanere ſtatuunt; ut & multa à *Gulielmo Ockam*, aliiſque, contra Eccleſiæ & Romani Pontificis auctoritatem aſſerta; &c. Porrò novis Sanctis, feſtis, reliquiis, atque omne genus Superſtitionibus, obruebatur quotidie Religio. *Catarina* Senenſis, & *Brigitta* nobilis Sueca, hoc tempore illuſtres, atque ob viſa Divis adſcriptæ: Quanquam cavendum ab iſtiuſmodi, ſeu viris, ſeu mulieribus, viſa cœleſtia venditantibus, ſéque ab iis fuiſſe deceptum, Gregorius XI. morti proximus monuiſſe fertur. *Jubilæum* Pontificium, ab anno centeſimo ad quinquageſimum, ad exemplum Jubilæi Judaïci, an. 1350. à *Clemente VI.* redactum eſt: Mox & ab *Urbano VI.*, *Sixto IV.*, aliiſque, arctioribus terminis incluſum; quò frequentior nimirùm meſſis illa evaderet. Exactionibus Curiæ Romanæ, *exemptionibus*, *reſervationi-*

Superſtitionum progreſſus.

D. Catarina.

D. Brigitta.

Jubilæum an. 1350.

Exactiones Curiæ Romanæ.

Digitized by Google

tionibus, *gratiis exſpectativis*, aliiſque corradendæ pecuniæ artibus, ita opprimebantur Eccleſiarum libertates; violabatúrque diſciplina, ut creberrimæ hac de re, tum in Gallia, tum in Anglia, tum alibi paſſim, expoſtulationes fierent: Quæ quidem mala antea jam cœpta, ſub Papis Avenionenſibus, præſertímque tempore Schiſmatis, auctore præ cæteris *Bonifacio IX.* ad cumulum pervenêre. Monachi *Mendicantes*, jura concionandi & confeſſiones audiendi ad ſe trahere, imò & Ordinariorum juriſdictioni ſe ſubducere, quâvis arte nitebantur: Qua de re, lites non paucæ hoc Sæculo occurrunt, ferè ſemper à Romana Curia in Monachorum gratiam determinatæ. Ardebat interim contra *Valdenſes*, *Patarinos*, *Begardos* &c., tota paſſim diſperſos Europa, Inquiſitorum furor; quorum multi vivicomburiis, aliiſque ſuppliciis affecti ſunt. Horum propagines *Wiclefitæ* ſeu *Lollardi* in Anglia; unde in Germaniam, Bohe-

Diſſidia Monachorum cum Ordinariis.

Inquiſitio in *Valdenſes*, alióſque pro hæreticis habitos.

Digitized by Google

Bohemiámque præsertim, sparsi, translatis secum Wiclefi libris, Sæculo sequenti *Hussitis* seu *Bohemis* ortum dedêre. Judæis, sive verè, sive per calumniam, adscripta hoc Sæculo scelera non pauca, infanticidia, puteorum atque fontium infectiones, hostiæ transfixæ, aut in aquam bullientem conjectæ: Quæ accusationes iis vexandis atque expellendis, ex Gallia præsertim atque Germania, pluries hoc Sæculo ansam præbuêre. Quidam Christo nomen dederunt, quos inter *Nicolaus de Lyra*, suis in Scripturam Sacram Commentariis clarus. Floruit hoc ævo ingenii laude *Franciscus Petrarca*, Poëta Italus, cujus in libris desperatissimus Curiæ Romanæ status vivis coloribus non semel depingitur. Jurisconsulti, *Marsilius Patavinus*, *Bartolus*, *Baldus*. Historici Græci, *Nicephorus Callisti*, *Nicephorus Gregoras*, *Johannes Cantacuzenus* Imp. Historici Latini, *Gulielmus de Nangiaco*, ejúsque continuatores, *Matthæus*

De Judæis.

Viri Docti.

theus Westmonasteriensis, cæteríque rerum Gallicarum, Anglicarum, aliarúmque Scriptores. Reliqua horum temporum memorabilia, ut *Caroli IV.* Aurea Bulla de Electorum juribus atque officiis; *Venceslao* Caroli filio abrogatum Imperium; Anglorum assidua cum Francis bella; duo Angliæ Reges, *Edwardus II.* & *Ricardus II.* de solio dejecti; Turcarum res sub *Othomannis*; *Bajazeti* præsertim gesta, ejusdémque clades per *Tamerlanem*; Bombardarum bellicarum, pixidísque nauticæ inventa; hæc aliáque ad Civilem pertinentia historiam, extra instituti nostri fines versantur.

Memorabilia Sæculi XIV.

Summa Capita

SÆCULI XV.

Schismatis Antipaparum continuatio. Galliæ subtractio. Innocentius *VII. Romæ.* Gregorius *XII. Romæ.* *Con-*

Digitized by Google

Concilium Pisanum, Oecum. an. 1409. *à quo Benedictus XIII. & Gregorius XII. exauctorantur, eligitúrque* Alexander *V. Tres Papae simul,* Benedictus *XIII.* Gregorius *XII. &* Johannes *XXIII.* Sigismundus *Imp. Concilium Constantiense, Oecum. an* 1414. *Scopus Concilii. Auctoritas Concilii supra Papam asserta. Johannes XXIII. depositus. Gregorius XII. sponte cedit. Benedictus XIII. depositus.* Martinus *V. electus. De* Johanne Hus. *Ejus doctrina. Constantiam venit. Contra fidem publicam comprehenditur & crematur.* Hieronymus Pragensis *etiam comburitur. Wiclefi doctrina & memoria damnata. Communio sub utraque specie in Bohemia. Canon Concilii Constant. Sess.* 13. *contra Communionem sub utraque specie. Tractatus & Conciones de corrupto Ecclesiae statu, & necessitate Reformationis. Finis Concilii. Praecipui Doctores in Concilio. Schismatis continuatio*

nuatio post Concilium. Finis Schismatis, an 1429. Bellum Bohemicum, seu Hussiticum. Johannes Ziſca. Procopius. *Concilium Basileense Generale an.* 1431. *Superioritas Concilii supra Papam confirmata.* Eugenius *IV. Concilium dissolvi jubet. Dissolutionem revocat, & Concilium adprobat. Concilium Ferrariæ coactum à Papa an.* 1438. *translatum Florentiam, an.* 1439. Eugenius IV. *deponitur.* Felix *V. eligitur. Mortuô Eugeniô,* Nicolaus V. *eligitur. Felix Papatu cedit. Finis Schismatis, an.* 1449. *Legati Bohemorum ad Concilium Basileense. Eorum petitiones. Redeunt in patriam, re infectâ. Legati in Bohemiam missi.* Calixtini, Taboritæ. *Calix Bohemis redditus. De concordia cum Græcis actum in Concilio Florentino.* JOHANNES PALÆOLOGUS *Imp. aliíque Græci, Florentiam veniunt. Capita dissidii. Quibus artibus concordia inita sit.* Beſſarion. Marcus Epheſius. *Concordia*

Digitized by Google

cordia à Græcis rejecta. Constantinopolis à Turcis capta, & finis Imperii Græci, an. 1453. Græci docti in Italiam se recipiunt. Nicolaus *V.* Pius *II.* Paulus *II.* Alexander *VI. Quatuor ad Reformationem ducentia; 1. major indies Ecclesiæ Romanæ corruptio; 2. querelæ Virorum Doctorum, in ipso Ecclesiæ Romanæ sinu; 3. aperti Ecclesiæ Romanæ Adversarii,* Valdenses, Wiclefitæ, Bohemi, *&c.* Johannes Wesselus, Hieron. Savonarola. 4. *Literarum* παλιγγενεσία. *Mauri & Judæi ex Hispania pulsi. Viri Docti. Memorabilia Sæculi XV.*

SÆCULUM XV.

Schismatis Antipaparum continuatio.

Fœdo Schismate, indè ab anno proximè descripti Sæculi 78. laborabat Ecclesia Romana; *Bonifacio IX.* Romæ, *Benedicto XIII.* Avenione, Pontificis nomen gerentibus: Quorum uterque, cùm ad deponendum Pontificatum vix ac ne vix quidem adduci

duci posset, licèt id antè spopondissent, hinc Galliæ regnum, ut suprà visum est, utriusque obsequio sese subtraxit. Publicata hæc Subtractio an. 1398. sublata, certis sub legibus, an. 1403. restituta an. 1406. confirmata an. 1408. Quod exemplum & alii quoque, in primis Germaniæ pars secuta est. Interim, mortuô Bonifaciô, *Innocentius VII.* hôc defunctô *Gregorius XII.* ab ejusdem factionis Cardinalibus electi sunt. Cùm verò, neque Benedictus, neque Gregorius, ad reddendam Ecclesiæ pacem seriò se accingerent, omniáque Principum studia & conatus eluderent, id impulit utriusque partis Cardinales, accedente etiam Principum auctoritate & consensu, ad Concilium Generale Pisis celebrandum, an. 1409.; quo, damnatô & exauctoratô utrôque Pontifice, alius electus est, nimirùm *Alexander V.* Verùm ne sic quidem Schisma coaluit. Cùm enim Pontifices exauctorati Concilii judicio

Galliæ subtractio.

Innocentius VII. Romæ. *Gregorius XII.* Romæ.

Concilium Pisan. an. 1409. à quo Bened. XIII. & Gregor. XII. exauctorantur; eligiturque *Alexander V.*

Digitized by Google

cio ſtare nollent, hinc factum ut, pro duobus, tres deinceps Papæ exſtiterint; inter quos ſcindebatur Chriſtianus Orbis. *Gregorio XII.* ſeu *Angelo Corario*, pars Italiæ adhuc ſuberat, favore inprimis *Ladiſlai* Neapolitani Regis, qui Roma potiebatur. *Benedictum XIII.* ſeu *Petrum de Luna*, Regna Caſtiliæ, Aragoniæ, & Scotiæ, Pontificem ſalutabant. Cætera *Alexandro V.* hôcque mortuô *Johanni XXIII.* ſeu *Balthazari Coſſæ*, ſubdita fuêre. Qui Johannes, ut ſe tueretur, cæteríſque prævaleret, communicatis cum SIGISMUNDO Imperatore conſiliis, novum Concilium in Urbe Conſtantia, Novembri menſe anni 1414. habendum indixit. Adfuit Johannes Papa, cum ingenti Cardinalium ac Præſulum multitudine. Adfuit & Imperator, cum non uno Germaniæ Principe, cæterorúmque Europæ Regum ac Principum Oratoribus. Scopus Concilii triplex; Schiſmatis exſtinctio; Hæreſium exſtirpatio;

Tres Papæ ſimul; *Bened. XIII. Greg. XII.* & *Johann. XXIII.*

SIGISMUNDUS Imp.

Concil. Conſtant. Oecum. an. 1414.

Scopus Concilii.

tio; & Reformatio Ecclesiæ in Capite & in Membris. I. Ad primum quod attinet, post assertam, Sessione quartâ & quintâ, Concilii supra Papam auctoritatem, cùm *Johannes XXIII.* solemni promisso, se Pontificatu cessurum, apud Concilium se obstrinxisset, promissi verò eludendi gratiâ clàm aufugisset, ob obstinationem & scelera damnatus est, & Papatu submotùs. *Gregorius XII.* per Legatos Pontificatu sponte cessit. *Benedictus XIII.* cùm, neque ab ipso Imperatore, qui ad eum profectus erat, neque ullis Concilii suorúmque Cardinalium precibus, ad deponendam tiaram compelli posset, ab omnibus fermè desertus, & à Concilio Pontificatu dejectus est. Quorum omnium in locum, *Odo Columna* Romanus, Papali cathedræ impositus est, dictúsque *Martinus V.* II. Dum hæc agerentur, *Johannes Hus*, Doctor Pragensis, doctrina pariter & vitæ munditia clarus, atque in magna apud suos

Auctoritas Concilii supra Papam adserta.

Johannes XXIII. depositus.

Gregorius XII. sponte cedit.

Benedictus XIII. depositus.

Martinus V. electus.

De *Johanne Hus.*

Digitized by Google

ſuos auctoritate, cùm ob quædam liberiùs dicta adversùs Curiam Romanam (nec enim in aliis doctrinæ capitibus eum à receptis placitis abiiſſe apparet) in Archiepiſcopi Pragenſis, imò & Papæ cenſuras incurriſſet, ſe purgaturus Conſtantiam venit: Quamvis verò Imperatoris ſalvo-conductu munitus eſſet, attamen contra fidem publicam in carcerem conjectus, nec multò pòſt vivus crematus eſt, 6. Julii anni 1415. Comprehenſus & Huſſi amicus atque ſocius, *Hieronymus Pragenſis*; cúmque extortam, tædio carceris, mortíſque metu, retractationem, reſumpto poſtmodùm animo revocâſſet, ignis ſupplicio pariter exſtinctus eſt, 30. Mai. an. 1416. Ambo mirabilem conſtantiam, exquiſitámque pietatem, inter ipſas flammas teſtati. Antequàm verò illi damnarentur, damnata *Wiclefi* doctrina eſt, qui eorum Magiſter habebatur; quanquàm illi non in omnibus cum Wiclefo conſentiebant. Igitur dictum

Ejus doctrina.

Conſtantiam venit.

Contra fidem publicam comprehenditur & crematur.

Hieronymus Pragenſis etiam comburitur.

Wiclefi doctrina & memoria damnata.

Digitized by Google

Wiclefi placitis memoriæque anathema; ejúsque ossa, si modò ab aliis secerni queant, exhumanda ac ejicienda pronuntiantur. Erant in Bohemia, per ea tempora, Doctores quidam (quorum caput *Jacobus de Misa*, aliàs *Jacobellus* dictus) qui, sive à dispersis Valdensibus, sive ex Wiclefi libris instituti, Communionem sub utraque specie celebrandam docebant, imò & in quibusdam Ecclesiis, plaudente populo, celebrabant: Quorum sententia famoso illo Canone Sessionis XIII. Concil. Constant. damnata est, decretúmque, quòd, *licèt Christus sub utraque specie panis & vini hoc venerabilè sacramentum discipulis suis administraverit, & in primitiva Ecclesia reciperetur à fidelibus sub utraque specie, tamen, hoc non obstante,* juxta *consuetudinem rationabiliter institutam,* debeat *à laïcis tantummodò sub specie panis suscipi* &c. III. Quod ad tertium Concilii scopum, putà Ecclesiæ reformationem in Capite & in

Communio sub utraque specie in Bohemia.

Canon Concil. Const. Seff. 13. contra Communionem sub utraque specie.

Digitized by Google

& in Membris, quanquam ejus necessitatem Præsules non pauci, tum vividissimis Tractatibus, tum Concionibus audacissimis coram Concilio habitis, demonstrâssent, imò & Congregationis ad hoc institutæ creberrimi conventus fuissent, tamen vix quidquam alicujus momenti hac de re definitum est; siquidem Martinus Papa, re infectâ, Concilium dimisit. Stetit Concilium tribus annis cum dimidio, cœptum 5. Novemb. anni 1414. dimissúmque 22. Aprilis 1418. Partes in eo præcipuas egerunt (præter SIGISMUNDUM Imperatorem, haud vulgari studio Ecclesiæ res promoventem) *Johannes de Brogniaco*, Cardinalis Vivariensis sive Ostiensis, qui in plerisque Sessionibus præfuit; *Petrus de Alliaco*, Cardinalis Cameracensis; *Franciscus Zabarella*, Cardinalis Florentinus; *Johannes Gerson*, Universitatis Parisiensis Cancellarius, unúsque ex Regis Galliæ Legatis. Finitô Conciliô, non statim Schismati finis est impo-

Tractatus & Conciones de corrupto Ecclesiæ statu, & necessitate Reformationis.

Finis Concilii.

Præcipui Doctores in Concilio.

Schismatis continuatio post Concilium.



impositus, *Benedictô XIII.* seu *Petrô de Luna*, ad mortem usque obstinatô; imô & aliô post ipsum electô, qui se *Clementem VII.* dixit: Verùm hic tandem, *Francisci Petri* Cardinalis Fuxiensis operâ, ad cedendum compulsus est.. In Bohemia, auditô Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis suppliciô, dici non potest quantùm exacerbati animi fuerint: Quæ res gravissimis tumultibus, bellóque per tredecim annos duraturo initium dedit. Hussitarum dux *Johannes Zisca*, nobilis Bohemus, qui, cæcus licèt, Pontificium exercitum non una strage affecit, hostibúsque etiam post obitum terrori fuit. Hôc defunctô anno 1424. Bohemis præfuit *Procopius*, & eo quidem successu, ut, neque Sigismundi copiis, neque Martini Papæ fulminibus, qui crucis vexillum adversùs illos erexit, vinci potuerint. Hæc inter, Concilio Basileensi, quod *Martinus V.* deinde, hôc mortuô, *Eugenius IV.* convocaverant, initium factum

Finis Schismatis an. 1429.

Bellum Bohemicum, seu Hussiticum.

Joh. Zisca.

Procopius.

Concil. Basil. Gener. an. 1431.

factum est, 23. Julii an. 1431. præside Cardinali *Juliano*, quem ad id muneris constituerat *Eugenius IV.* In eo statim Constantiensia decreta, de superioritate Concilii supra Papam, prægnantissimis verbis asserta sunt: Quæ res cùm Eugenio displiceret, dissolvi Concilium, & Bononiam transferri jussit. Verùm Pontifici morem gerere Concilii Patres renuerunt; imò & , nisi Bullam illam revocaret, Conciliúmque confirmaret, eum Papatu submovendum decrevêre: Quamobrem sese submittere, Conciliíque continuationem adprobare necesse habuit. Cùm verò pergeret Concilium de reformanda Ecclesia decreta condere, sibíque adhuc metueret Eugenius, Concilium aliò transferre, vel saltem Concilium Concilio opponere rursùs constituit. Igitur Concilium Ferrariæ cogit an. 1438. illúdque, anno sequenti, pestis occasione, Florentiam transfert. Basileenses interim, posthabitis Eugenii fulmini-

Superioritas Concilii supra Papam confirmata.

Eugenius IV. Concilium dissolvi jubet.

Dissolutionem revocat, & Concilium adprobat.

Concilium Ferrariæ coactum à Papa an. 1438. translatum Florentiam an. 1439.

minibus, novum istud Concilium irritum pronuntiant; imò & Eugenium ipsum, tanquam *contumacem ac inobedientem universali Ecclesiæ, rebellem, violatorem contemptorémque Canonum, unitatis perturbatorem, scandalizatorem, simoniacum, perjurum, hæreticum, incorrigibilem, schismaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum, dilapidatorem bonorum Ecclesiæ*, &c. omni honore indignum judicant, adeóque Papatu dejiciunt: Mox *Amadeum*, Ducem Sabaudiæ, qui tum Ripaliæ ad Lacum Lemannum versabatur, atque eremiticam vitam agebat, in Pontificem eligunt, 17. Novemb. 1439., qui *Felicis V.* nomen assumpsit. Ergo Pontifex Pontifici, Concilium Concilio adversum, mutuis sese diris feriebant. Neque cessavit Schisma illud, donec, mortuô Eugeniô an. 1447., electôque in ejus locum *Nicolaô V.* Felix, qui Lausannæ tum versabatur, Pontificatu sponte cessit, abolitis ab utraque parte anathematibus,

Eugenius IV. deponitur.

Felix V. eligitur.

Mortuô Eugeniô, *Nicolaus V.* eligitur.

bus, salvísque quæ in utroque Concilio transacta fuerant. Actum hoc an. 1449. Præter illud autem Schismatis negotium, alia non pauca, tum in Concilio Basileensi, tum in Florentino, gesta occurrunt; quorum præcipua, de *Bohemis* nempe & *Græcis*, haudquaquam hîc omittenda sunt. Basileam quidem invitati *Bohemorum* Legati venerunt; quos inter erant, *Procopius* ipsorum dux, & *Johannes Rockzana*, unus ex præcipuis eorum Doctoribus. Illi quatuor à Concilio petierunt; 1. communionem sub utraque specie; 2. de publicis delictis à Magistratu puniendis, nullâ concessâ Clericis immunitate; 3. de libera Verbi Dei prædicatione; 4. de civili dominio Clericis interdicendo: De quibus postquàm per delegatos utriusque partis Theologos diu frustráque disceptatum esset, Bohemi re infectâ in patriam rediêre. Mox verò Concilium in Bohemiam Legatos misit, quorum unus erat *Æneas Sylvius*,

Felix Papatu cedit.

Finis Schismatis an. 1449.

Legati Bohemorum ad Concil. Basil.

Eorum petitiones.

Redeunt in patriam, re infectâ.

Legati in Bohemiam missi.

qui, concessô Calicis usu, Bohemorum multos, *Calixtinos* dictos, ad Romanæ Ecclesiæ communionem reduxêre: Quippe scissi erant illi duas in partes, *Calixtinorum* & *Thaboritarum*: quorum illi hoc uno in capite discrepabant à Pontificiis, quòd Calicis usum urgerent; hi, à monte *Thabor* propè Pragam, arcéque ei imposita, ita appellati, plura longè in Ecclesia Romana reprehendebant. Itaque illis, reddito Calice, satisfactum est: Sed isti, per medias strages, variámque bellorum fortunam, à Pontificiis sejuncti manserunt, usque ad tempus Reformationis, quô Protestantium conventibus sese adjunxêre. Apud Florentiam, de ineunda cum *Græcis* concordia haud vulgari pompâ actum est. Etenim venêre ad Concilium, ipse Græcorum Imperator JOHANNES PALÆOLOGUS, *Demetrius* ejus frater, *Josephus* Patriarcha Constantinopolitanus, *Marcus* Ephesius, aliique, tum in Ecclesia, tum in Aula,

Calixtini, Thaboritæ.

Calix Bohemis redditus.

De concordia cum Græcis actum in Concil. Florent.

JOHANNES PALÆO. Imp. aliique Græci, Florentiam veniunt.

Digitized by Google

la, primæ notæ Viri. Capita dissidii agitata præ cæteris quatuor; 1. de processione Spiritûs S. 2. de Purgatorio. 3. de Azymis. 4. de primatu Papæ. De quorum uno & altero cùm habitæ haud magno fructu disceptationes essent, Græcus Imperator, qui, spe impetrandi contra Turcas auxilii, fœdus inire quavis arte optabat, Eugeniúsque qui ex hac concordia multùm sibi suóque Concilio accessurum gloriæ sperabat, aliâ viâ rem aggressi sunt: Scilicèt delecti ab utraque parte, quibus ea res commissa est: Et in Græcis quidem, præ cæteris delecti sunt viri Latinis planè mancipati, quorum præcipuus *Bessarion* Nicænus, Cardinalitia dignitate postmodùm auctus. Unus restitit magnâ constantiâ *Marcus* Ephesius. Cæteri, partim minis territi, partim promissis allecti; præsertim verò, si reluctarentur, stipendiorum Papalium subtractione mulctati, ad assensum Latinis præbendum, fraudulentóque

Capita dissidii.

Quibus artibus concordia inita sit.

Bessarion.

Marcus Ephesius.

Digitized by Google

Concordiæ decreto subscribendum, adacti sunt. At verò, in patriam reduces, déque fraude palàm conquesti, subdolæ illi Concordiæ nuntium misêre. Porrò attritæ magis magísque Græcorum res à Turcis fuerunt, à quibus capta Constantinopolis annô 1453., Græcóque imperio finis allatus. Quæ quidem procella doctam Græcorum manum in Italiam detulit, putà *Theodorum Gazam*, *Georgium Trapezuntium*, *Argyropylum*, *Demetrium Chalcocondylam*, &c., quorum adventus ad excitandum, Occiduis in partibus, Græcæ Linguæ studium non parùm valuit. Sedebat per ea tempora *Nicolaus V.*, qui Literis & Literatis non parùm favebat. Nec multò pòst, eandem Sedem occupavit *Pius II.*, antea dictus *Æneas Sylvius*, ob doctrinam inter principes illius ævi Viros numerandus, ut ex ejus Scriptis apparet; sed hoc culpandus, quòd ea quæ scripserat adversùs Romanam Curiam, dum adhuc privatus

Concordia à Græcis rejecta.

Constantinopolis à Turcis capta, & finis Imperii Græci an. 1453.

Græci docti in Italiam se recipiunt.

Nicolaus V.

Pius II.

pus esset, factus Pontifex revocare atque immutare non erubuerit. Hunc secuti, *Paulus II.* magnus Literarum osor, *Sixtus IV. Innocentius VIII.* denique monstrum hominis *Alexander VI.*, haud aliter quàm vitiis illustres fuêre. Sic omni ex parte nova emergebant, quæ ad secuturam Reformationem vias disponerent: 1. horrenda, crescénsque indies, Ecclesiæ Romanæ corruptio; pietas in nugis posita; plebs Christiana, non verbo Dei, sed anilibus Legendarum fabulis pasta; Cleri avaritia, luxus, libidines; simonia nullo pudore exercita; venalia Romæ omnia, *Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, Deúsque.* 2. liberæ Virorum doctorum, etiam in ipso Ecclesiæ Romanæ sinu, de his scandalis expostulationes; ut *Nicolaï de Clemangis, Petri de Alliaco, Johannis Gerson, Thomæ Netteri, Waldensis* dicti, *Joh. Bapt. Mantuani* poëtæ, *Theodorici à Niem*, Joh. Bapt. *Platinæ*, qui duo postremi inter Pontifi-

Paulus II.

Alexander VI.

Quatuor ad Reformationem ducentia; 1. major indies Eccl. Rom. corruptio.

2. querelæ Virorum doctorum, in ipso Eccl. Rom. sinu.

tificum scribas atque domesticos locum habuerant; &c. 3. non pauci ab Ecclesiæ Romanæ communione sejuncti, qui publicum ejus erroribus bellum indicebant; putà *Valdensium* propagines, per Italiam, Galliam, aliásque oras dispersæ; *Wiclefitæ* seu *Lollardi* in Anglia; in Germania, *Hussitæ*, seu *fratres Bohemi*: Quibus & duo adjungendi Viri, qui inter Reformatorum præcursores vulgò numerantur, *Johannes Wesselus* Groningensis, vulgò *Lux Mundi* dictus, qui in multis doctrinæ capitibus ab Ecclesia Romana dissentiebat, & *Hieronymus Savonarola*, Ferrariensis, Ordinis Dominicani, & Concionator celeberrimus, qui ob multa liberè dicta adversùs Romanam Ecclesiam, quam *Babylonem* vocabat, Florentiæ combustus est anno 1498. 4. excitata magis magísque Literarum studia: Quam ad rem, & Græci illi advenæ, de quibus diximus, & Typographicæ Artis inventum, auctore, ut ferunt, *Johan-*

3. aperti Eccl. Rom. Adversarii; *Valdenses, Wiclefitæ, Bohemi &c.*

Joh. Wesselus.

Hier. Savonarola.

4. Literarum παλιγγενεσία.

Digitized by Google

Johanne Guttembergio, equite Moguntino, circa an. 1440. non parùm contulêre. *Mauros*, sive Saracenos, variis affectos cladibus, tandem captâ Granatâ anno 1492. ex Hispania *Ferdinandus* Rex penitùs ejecit, septingentis octoginta postquàm eò venerant annis. Nec multò pòst, *Judaei* etiam eodem Regno pulsi sunt, ingenti, ut ferunt, numero, qui ad familiarum centum septuaginta millia, & capitum octingenta millia adscenderet: Inter profugos fuit *R. Isaac Abarbanel*, suis in Scripturam commentariis notissimus. Viri Docti, praeter memoratos, quavis in Arte non pauci fuêre; in Theologicis, *Alphonsus Tostatus*, Abulensis Episcopus, *Johannes de Turrecremata* Cardinalis, *Paulus Burgensis* ex Judaeo Christianus, *Johannes Capreolus*, *Dionysius à Rickel*, vulgò dictus Carthusianus, *Hieronymus à Sancta Fide*, *Raymundus de Sebunde*, *Nicolaus Cusanus* Cardinalis, *Thomas à Kempis*,

Mauri & Judaei ex Hispania pulsi.

Viri Docti.

Digitized by Google

pis, &c.; in Juridicis, *Nicolaus de Tudeschis*, Panormitanus Archiepiscopus & Cardinalis, *Alexander de Imola*, vulgò *Tartagnus*, &c.; in Historicis, *Blondus Flavius*, *Gobelinus Persona*, *Matthæus Palmerius*, *Theodoricus à Niem*, *Platina*, *Sabellicus*, *Antoninus*, *Trithemius*, &c.; in Grammaticis & Philologicis, *Laurentius Valla*, *Emanuel Chrysoloras*, *Franciscus Philelphus*, *Leonardus Aretinus*, *Joh. Franciscus Poggius*, *Rudolphus Agricola*, *Hermolaus Barbarus*, *Joh. Picus Mirandulanus*, *Angelus Politianus*, *Marsilius Ficinus*, &c. Alia non desunt hôc Sæculô memoria digna, quæ ab Historiæ Civilis Scriptoribus peti possunt; velut, Francorum res Anglico bello attritæ, donec anno 1429. solutâ Aureliæ obsidione, duce *Johanna Darcia*, quæ vulgò *Puella Aurelianensis* dicitur, restitui paulatim cœperunt: Turcarum crescens indies potentia, quos tamen duo fortissimi Viri, *Johannes Hunniades* Transsylvaniæ Princeps,

Memorabilia Sæculi XV.

Digitized by Google

ceps, & *Scanderbegus* Epirotarum rex, non parùm repressêre: Bella, de regno Neapolitano, atque inter alias Italiæ urbes, fermè perpetua. Denique Novi Orbis, seu *Indiæ Occidentalis* detectione, auctoribus *Christophoro Columbo* Genuensi, & *Americo Vespucio* Florentino, tum *Ferdinandi* & *Isabellæ* principatus, quibus auspicibus ea res gesta est, tum ipsa etiam Sæculi hujus extrema nobilitata sunt.

FINIS SÆCULI XV.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ COMPENDIUM

à CHRISTO NATO *usque ad* *Annum* MDCC.

PARS POSTERIOR

de

Sæculis XVI. & XVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ COMPENDIUM

à CHRISTO NATO *usque ad* *Annum* MDCC.

PARS POSTERIOR *de* Sæculis XVI. & XVII.

SÆCULUM XVI.

GRatiſſimum Veri amantibus, memoriáque digniſſimum, Sextum-decimum Æræ Chriſtianæ Sæculum Sæculum XVI. ob *Reformationem* illuſtre.

P

culum fuit: utpote quô Christianorum Sacra, à multis jam Sæculis inquinatissima, faustis auspiciis expurgata sunt. Opus jampridem bonorum votis expetitum; in Conciliis Sæculi superioris, *Pisano*, *Constantiensi*, & *Basileensi*, tentatum quadantenùs atque inchoatum, in iis saltem quæ ad fœdas quasdam Romanæ Curiæ nundinationes spectabant; sed ab iis quorum intererat superstitionem ac tyrannidem fovere, nulla non arte impeditum ac retardatum; in quo proinde excitando atque promovendo, Divinæ Providentiæ virtus emicuit. Nos beatam hanc rerum conversionem, per varias Europæ partes, non quidem pro argumenti amplitudine atque dignitate, sed pro compendii nostri modulo, breviter hîc exhibebimus; postquàm verbum de iis quæ antecesserant dictum fuerit.

Summa Capita
SECTIONIS I.

Alexander VI. *Papa.* Julius II. *Papa. Ejus turbulenta consilia & facta. Conventus Turonensis contra Papam, an.* 1510. *Decem gravamina Germanorum adversùs Curiam Romanam. Concilium Pisanum an.* 1511. *Concilium Lateranense V. an.* 1512. Leo X. P. *Concordata inter Leonem X. P. & Franciscum I. Galliæ Regem.*

SECTIO I.

De iis quæ antecesserunt Reformationem.

ROmæ sedebat, ineunte Sæculô, Pontifex nequissimus, *Alexander VI.*, antea *Rodericus Borgia* dictus, cujus, ut & natorum ejus, *Alexander VI. P.*

Cæsaris Borgiæ Cardinalis, & Ducis Valentini, crudelitas, perfidia, atque libidines, modum omnem excessêre. Dignum eâ vitâ exitum habuit; annô 1503., haustô per errorem, quod aliis parabat, venenô. Hunc, interjectô *Piccolomineô*, seu *Pio III.*, viginti sex dierum Pontifice, excepit *Julianus de Roveria*, seu *Julius II.* qui, emptô donis & promissis Pontificatu, totam Europam armis & factionibus miscuit: primùm cum Imperatore & Galliæ Rege, adversùs Venetos, conjunctus, annô 1508., eo fœdere quod ex loco ubi percussum est *Cameracense* dicitur: mox Venetis reconciliatus, Gallis verò infensissimus, à quibus non unâ clade adfectus est, speciatim ad Ravennam, annô hujus Sæculi duodecimô, auspice *Vastone Flustrate*, Duce Nemorensi, qui in prælio illo occubuit. Quid de turbulenti hujus Pontificis audacia atque diris sentirent Galli, docuit Conventus Turonensis, an. 1510.

Julius II. P.

Ejus turbulenta consilia & facta.

Conventus Turo-

Digitized by Google

1510., ipſéque Rex LUDOVICUS XII. aureô cuſô Numiſmate, cum hac inſcriptione, PERDAM BABILONIS NOMEN. Sed nec Germani Romanæ Curiæ exactiones atque tyrannidem placidè ſpectabant, à quibus *decem* hac de re *Gravamina* Imperatori MAXIMILIANO oblata ſunt. Ergo, communi Imperatoris & Regis Galliæ conſenſu, *Concilium Piſanum* à Cardinalibus quibuſdam habetur, annô 1511.; quô de emendenda, tam in capite quàm in membris, Eccleſia, cohibendíſque Papæ Julii furoribus, conſilia agitantur. Cui ex adverſo *Concilium Lateranenſe V.* opponit Papa, inchoatum annô 1512., & ad annum uſque 1517. continuatum, quô Piſanum Concilium damnatum, in eóque geſta irrita declarata ſunt. Quæ dum agerentur, moritur Julius II. Februariô menſe anni 1513., eíque Cardinalis Mediceus, *Leo X.* dictus, ſufficitur. Sub hoc Pontifice, continuatæ Concilii Lateranen-

nenſis contra Papam, an. 1510.

Decem Gravamina Germanorum adv. Curiam Romanam.

Concilium Piſanum annô 1511.

Concilium Lateranenſe V. an. 1512.

Leo X. P.

Digitized by Google

ſis Seſſiones, quibus in primis de abroganda *Pragmatica Sanctione*, quæ in Gallia obtinebat, ſed quam Romana Curia cane pejus & angue averſabatur, actum eſt: Qua de re initum, *Leonem* inter & *Franciſcum I.* Galliæ Regem, qui Bononiæ convenerunt, fœdus, exeunte annô 1515.; quô, in Pragmaticæ locum, novæ quædam Conſtitutiones, *Concordata* dicta, ſancita ſunt. Sed, cùm iis Eccleſiæ jura non parùm violarentur, præſertim ad Electiones Eccleſiaſticas quod adtinet, quarum facultatem omnem, iis ablatam quos penès erat, Rex & Pontifex inter ſe quaſi dividebant, Gallorum gens ad Concordata illa admittenda ægrè admodum adduci potuit: Nec niſi iterùm iterúmque jubente Rege, mináſque intentante, in Suprema Curia Pariſienſi prælecta, Actíſque publicis inſerta ſunt.

Concordata inter Leonem X. P. & Franciſcum I. Gall. R.

Summa

Digitized by Google

Summa Capita
SECTIONIS II.
De Reformatione Germaniae.

REFORMATIONIS *primordia. Indulgentiae à* Leone X. *promulgatae.* Martinus Lutherus *Indulgentias impugnat. Lutherus Romam citatur; auditur à Card. Cajetano; à Pontifice ad Concilium provocat. Bulla Leonis X. contra Lutherum. Leonis Bullam, & Decretalium Libros, publicè cremat Lutherus. Lutheri Adversarii. Liber Lutheri* de Captivitate Babylonica. CAROLUS V. *Imperator. Lutherus à Carolo V. in Comitiis Wormatiensibus auditur, mox proscribitur. In Arce Wartemburgica delitescit. Multi Principes & Civitates Germaniae Reformationem amplectuntur.* Hadrianus VI. *Papa. Centum gra-*

vamina Nationis Germanicæ. Comitia Spirensia an. 1526. *Comitia Spirensia an.* 1529. *Origo nominis* Protestantium. *Carolus V. Imp. à* Clemente VII. *P. coronatur. Conventus Protestantium Smalcaldiæ, an.* 1529. *Comitia Augustana an.* 1530. *Confessio Augustana. Confessio IV. Civitatum. Decretum Augustanum contra Protestantes. Fœdus Smalcaldicum, sub finem an.* 1530. *Conventus Smalcaldicus an.* 1531. *Pax Norimbergica an.* 1532. *sæpiùs deinde confirmata. Bellum Cæsaris contra Protestantes, an.* 1546. *Mors Lutheri. Fusi Protestantes an.* 1547. *Saxo & Hassus capti. Liber* Interim *Cæsaris jussu editus, an.* 1548. *à Protestantibus rejectus; Romæ etiam improbatus. Mauritius Saxo, mutatis partibus, Protestantibus se adjungit. Bellum contra Cæsarem, an.* 1552. *quo res Protestantium restituuntur. Pax Passaviensis, an.* 1552. *confirmata Augustæ. an.* 1555.

SEC-

SECTIO II.

De Reformatione GERMANIÆ.

SED hæc levia, præ mira illa rerum conversione, quæ hoc ipso tempore, anno nempe 1517, in GERMANIA occœpit, indéque per totum Christianum Orbem, velut signô datô, diffusa est. Occasio fuit promulgata à *Leone X.* Romano Pontifice, delictorum quorumlibet venia (*Indulgentias* vocant) iis qui pecunias ad instaurandam D. Petri Basilicam erogâssent. Missi quaquaversùm, qui venalia illa Diplomata ferrent, & pecuniis corradendis præficerentur. Et in Germania quidem, id negotii datum, inter alios, *Johanni Tezelio*, Monacho Dominicano; cujus turpi nundinatione, impiisque concionibus, excitatus *Martinus Lutherus*, Islebii in Comitatu Mansfeldiensi ortus, Augustiniani Ordinis, & Wittembergensis

REFORMATIONIS primordia.

Indulgentiæ à *Leone X.* promulgatæ.

Mart. Lutherus Indulgentias impugnat.

P 5 Aca-

Academiæ Doctor, ineptias illas vividè perstrinxit, cùm publicis concionibus, tum affixis propositísque ad disputandum capitibus xcv. quæ quidem, unà cum literis, quibus de hac nundinatione querebatur, misit ad *Albertum* Brandenburgicum, Archiepiscopum Moguntinum & Magdeburgensem, ad quem earum rerum cura pertinebat: Sed Albertus nihil pensi habuit ei malo medelam afferre; uti nec Leo X. ad quem etiam literas reverentiæ plenas dederat Lutherus. Quinimò hic, tanquam reus, ad caussam dicendam, Romam citatur: Verùm, operâ *Friderici* Saxoniæ Electoris, qui ei impensè favebat, ut in Germania audiretur effectum est. Ergo Augustæ, coram Legato Pontificio, Cardinale *Cajetano*, comparuit; qui eum, promissis ac minis, ad ea quæ protulerat revocanda adigere nullâ non arte conatus est. At ille, nihil cedens, à Cajetano ad Pontificem, à Pontifice Indulgentias datâ

Lutherus Romam citatur.

Auditur à Card. *Cajetano.*

Bullâ

Bullâ confirmante & commendante, ad futurum Concilium provocat. Quo facto iratus Pontifex, novâ Bullâ, XVII. Kal. Jul. an. 1520. Lutheri doctrinam tanquam impiam & hæreticam damnat, ejus Libros comburi jubet, ipsúmque, nisi intra sexaginta dies ad sanitatem redeat, sacris interdicit atque proscribit. Cui censuræ vividè respondet Lutherus, suámque ad Concilium adpellationem iterat; imò & Bullam Leonis, unà cum Paparum Decretalibus Epistolis, Wittembergæ publicè cremat. Cùm autem multi adversùs Lutherum stylum stringerent, putà *Johannes Eckius*, quocum publicam Lipsiæ disputationem habuit, *Sylvester Prierias*, ut & Anglorum Rex *Henricus VIII.* ipse vicissim se tuebatur, novísque quotidie editis Libris, Ecclesiæ Romanæ errores tyrannidémque impugnabat; qui scopus inprimis Libri *de Captivitate Babylonica*, quô apertum Romano Pontifici, ejúsque Ecclesiæ, bellum indixit.

à Pontifice ad Concilium provocat.

Bulla Leonis X. contra Lutherum.

Leonis Bullam, & Decretalium Libros, publicè cremat Lutherus.

Lutheri Adversarii.

Liber Lutheri *de Captivit. Babyl.*

Digitized by Google

dixit. Interim mortuo MAXIMILIANO, Romanorum Imperatori, nepos ejus CAROLUS V., antea jam Hispaniarum Rex, in Imperio successerat; à quo convocatis Wormatiæ Ordinibus, anno 1521. Lutherus fide publica arcessitus auditus est: Sed cùm nollet sua retractare, dimissus quidem juxta fidem datam, sed non multò pòst ab Imperatore & Comitiis proscriptus, ac, ne quis ei patrocinaretur, gravi denuntiatâ pœnâ, vetitum est. Cujus securitati ut prospiceret *Fridericus* Elector Saxoniæ, eum in via abripi jubet, & in Arcem Wartemburgicam secretò deportari; ubi, per menses decem, tanquam in Patmo sua delituit. Fervebat interim Religionis negotium in Germania, multis Principibus & Civitatibus ad puriorem fidem accedentibus, Cæsare verò in id intentô ut dissidium illud quâvis arte componeret; qua de re in Imperii Comitiis sæpe sæpiùs deliberatum est. Certè in Comitiis Norimber-

CAROLUS V. Imp.

Lutherus à Carolo V. in Comitiis Worm. auditur, mox proscribitur.

In Arce Wartemburg. delitescit.

Multi Principes & Civitates Germaniæ Reformationem amplectuntur.

Digitized by Google

bergensibus, sub finem anni 1522. & initio sequentis, oblata sunt, Principum nomine, & missa ad Pontificem, qui tum erat *Hadrianus VI.* gente Belga, Cæsaris olim informator, vir ab emendanda Ecclesia, si potuisset, non alienus; ad eum, inquam, transmissa sunt, *Centum gravamina Nationis Germanicæ*: Verùm tanta intercesserunt à parte Cleri obstacula, támque brevis fuit Hadriani, hoc ipso anno defuncti, Pontificatus, ut peragi nihil potuerit. Triennio pòst, Spirensibus Comitiis, cùm Wormatiensis Edicti exsecutionem multi urgerent, moderatiora tamen consilia prævaluêre: Decretum quippe, ad constituendam Religionis formam, & retinendam tranquillitatem, opus esse legitimo, vel totius Orbis, vel Germaniæ saltem, Concilio; Interea verò donec habeatur, ita se gerere unumquemque debere, ut facti sui rationem Deo & Cæsari reddere possit. At cùm in aliis Comitiis, iiidem

Hadrianus VI. P.

Centum gravamina Nationis Germanicæ.

Comitia Spirensia an. 1526.

Comitia Spirensia an. 1529.

itidem Spiræ habitis, annô 1529. Missæ abrogatio prohibita, aliáque adversùs puriorem doctrinam sancita essent, contra Decretum illud Principes non pauci protestati sunt, putà *Johannes* Elector Saxoniæ, *Georgius* Brandemburgicus, *Ernestus* & *Franciscus* Luneburgici, Hassiæ Landgravius *Philippus*, & *Wolfgangus* Anhaltinus; quibus & Civitates XIV. se adjunxêre: A qua protestatione deductum *Protestantium* nomen est, quô purioris doctrinæ adseclæ deinceps appellati sunt. Versabatur tum temporis Carolus V. in Italia, quò ad Coronam Imperialem ex manu Pontificis accipiendam venerat, ejus ipsius Pontificis *Clementis VII.* quem biennio antè Romæ obsessum captivúmque tenuerat. Cùm ergo Placentiæ esset, ad eum accedunt Protestantium Legati, qui de facta protestatione certiorem faciant. Verùm exacerbatô illô, minásque intentante, Protestantes sibi consulturi, Smalcaldiæ, quæ Hassiæ Civitas est, nec

Origo nominis *Protestantium*.

Carolus V. Imp. à *Clemente VII.* P. coronatur.

Conventus Protestantium

nec multò pòst Norimbergæ etiam coëunt; ubi fœderis Smalcaldici, postmodùm ineundi, jacta semina sunt. Habentur interim Junio mense anni 1530. Augustæ Comitia, quibus celebris illa Confessio, quæ *Augustana* propterea dicitur, à Protestantibus Principibus Imperatori oblata est, & coram Imperii Ordinibus publicè lecta. Cui & IV. Civitates, *Argentoratum*, *Constantia*, *Memminga*, *Lindavia*, suam adjunxêre. Verùm, licèt ex Confessionibus illis, earúmque Apologia, satis pateret, quàm innocua esset Protestantium doctrina, durissimum tamen fuit, & Protestantibus iniquissimum, Comitiorum illorum Decretum; utpote quô innovatio omnis in Religione vetabatur, & restitutio eorum omnium, quæ immutata fuerant, imperabatur, pœnis quinetiam, non fisci modò, sed & proscriptionis, in eos qui obsequium detrectarent, constitutis. Quæ cùm cernerent Protestantes Principes, fœdus inter se, sub

Smalcaldiæ an. 1529.

Comitia Augustana an. 1530.

Confessio Augustana.

Confessio IV. Civitatum.

Decretum Augustanum contra Protestantes.

Fœdus Smalcaldicum, sub finem anni 1530.

sub finem hujus ipsius anni, Smalcaldiæ ineunt; non ullius quidem offendendi, sed sui defendendi caussâ; ad quod & cæteri qui tum aberant, ut & Civitates omnes Evangelium professæ, invitatæ sunt.

Conventus Smalcaldicus, an. 1531.

Dum autem fœderati Principes, anno sequenti, Smalcaldiæ iterùm essent, literas à Cæsare acceperunt; quibus auxilia contra Turcas exposcebat. Respondent, se auxilia lubentissimè collaturos, si modò fiscalis omnis actio tollatur, & securitas ipsis præstetur. Itaque cernens Imperator, se violentis consiliis parùm huc usque promovisse, ad pacis consilia animum applicat, decernítque ut nemini religionis caussâ molestia creetur, adusque Concilii tempus; vel, si nullum sit, tantisper donec per Ordines Imperii alia ratione statutum fuerit. Protestantes vice versâ, qui tum erant Principes VII. & Civitates XXIV. omne obsequium Imperatori, & contra Turcas auxilia pollicentur. Sancita hæc Pax

Pax Norimbergica an. 1532. sæpiùs deinde confirmata.

Norim-

Norimbergæ, an. 1532. quæ iterùm Cadani in Bohemia, an. 1534. inter *Ferdinandum* Romanorum Regem, & *Johannem Fridericum* Electorem Saxoniæ; Francofurti an. 1539. Spiræ an. 1544. & aliàs non semel confirmata est. Verùm, Romano Pontifice, qui tum erat *Paulus III.* contra Protestantes adsiduè classicum canente, Imperator, pace priùs cum Gallis initâ, pactísque cum Turca induciis, Protestantes bello adortus est, an. 1546. Excesserat hôc ipsô annô é vivis *Lutherus*, annos natus 63. neque deflendam quæ suis imminebat cladem conspexit. Nam is fuit belli exitus, ut Aprili mense sequentis anni 1547. funderetur Protestantium exercitus, captô duce, *Johanne Friderico*, Electore Saxoniæ, fortiter quidem pugnante, sed à multitudine hostilium copiarum oppressô; *Philippôque* Hassiæ Landgraviô, cùm ad Cæsarem supplex ivisset, contra fidem datam apprehensô, & in carcerem conjectô, Saxo-

Bellum Cæsaris contra Protestantes an. 1546.

Mors Lutheri.

Fusi Protestantes, an. 1547. Saxo & Hassus capti.

Digitized by Google

ni quidem Electoris Dignitas adempta, atque in Mauritium agnatum ejus collata: Utrique verò libertas, nonnisi quinquennio pòst, versis in melius Protestantium rebus, reddita est. Annô qui cladem illam secutus est, 1548. cupiens Imperator Religionis in Germania statum ad tempus saltem componere, usquedùm perfectiùs in Concilio definiretur, tribus adhibitis Theologis, duobus Pontificiis, tertio Protestante, nempe *Julio Pfluggio* Numburgensi Episcopo, *Michaële Sidonio*, & *Joh. Islebio Agricola*, Formulam conscribi curat (*Interim* ei nomen fuit) cui sese submittere in Germania omnes juberentur. Tota erat Pontificia, si duo capita excipias, de Communione sub utraque specie, & Conjugiis Sacerdotum. Ergo obtruditur Liber ille Protestantibus, sed omnes fermè illum rejiciunt, utpote quô pars longè maxima Papalium Superstitionum atque errorum confirmabatur. Sed neque ipsi Romanæ Curiæ

Liber *Interim* Cæsaris jussu editus an. 1548.

à Protestantibus rejectus;

Romæ etiam improbatus.

riæ admodùm acceptus fuit, quæ ne minimùm quidem de suis Statutis volebat remittere, Principémque Sæcularem aliquid de rebus sacris definire ægrè ferebat. Cæsar, nunc hos, nunc illos urgere, nec modò suasionibus, promissis, minis, sed aperta vi nonnunquam agere, ut sua illa Formula à Protestantibus admitteretur: Sed frustrà hæc omnia; neque ipse Saxo captivus ad redimendam hac mercede libertatem adduci potuit. Verùm, quod miréris, unde clades Protestantibus, nempe ab altero Saxone *Mauritio*, inde ipsis salus affulsit. Cùm enim pro Landgravio *Philippo*, socero suo, diu multúmque apud Cæsarem egisset, indignatus quòd nihil proficeret, mutatis partibus, annô 1552. Protestantium caussam suscepit; tantóque id egit successu, unà cum Brandemburgico Electore, aliísque Principibus Viris, adscitô etiam in fœderis societatem Galliæ Rege *Henricô II.* ut Augustam aliásque Urbes

Mauritius Saxo, mutatis partibus, Protestantibus se adjungit.

Bellum contra Cæsarem.

Digitized by Google

an. 1552. quò res Protestantium restituuntur.

mira celeritate caperent ac diriperent; Imperatorem, unà cum fratre Ferdinando Romanorum Rege, noctu Oeniponte aufugere cogerent; denique honestam Protestantibus, aliisque fœderatis pacem impetrarent.

Pax Passaviensis, an. 1552. confirmata Augustæ an. 1555.

Cautum nempe, inter alia, ut ne ulla cuiquam, propter religionem, exhiberetur molestia; ad Imperialis judicii Consessum, sive Cameram, etiam ii qui sunt Augustanæ Confessionis admitterentur; proscripti restituerentur; &c. Atque hæc est celebris illa Passaviensis Pacificatio, Julio mense an. 1552. sancita, in Comitiis Augustanis anni 1555. repetita & confirmata, quâ Germanorum Protestantium securitati ad hunc usque diem prospectum est.

Summa

Summa Capita
SECTIONIS III.
de Reformatione *Helvetiæ.*

Reformatio HELVETIÆ. Zuinglius, Oecolampadius, Hallerus, *præcipui Reformatores. Natus Zuinglius an.* 1484. *Prædicare incipit an.* 1516. *Vocatur* Tigurum *initio an.* 1519. *& Scripturam purè exponit. Indulgentiæ in Helvetia publicatæ. Samsonis in illis vendendis impudentia. Eas impugnat Zuinglius. Prima Disputatio Tiguri, an* 1523. *Edictum Senatûs Populíque Tigurini, de Evangelio purè prædicando. Secunda & tertia Disputatio Tiguri, eodem anno. Decretum cæterorum Helvetiorum contra Reformationem, Lucernæ,* 26. *Januarii* 1524. *Tigurini in proposito constantes. Superstitiones abolitæ. Missa*

Digitized by Google

ſa abolita, an. 1525. *Reformatio* Scaphuſiana *&* Sangallenſis. *Reformatio* Bernenſis, *an.* 1528. *Reformatio* Baſileenſis, *an.* 1529. *Bellum inter Helvetios. Mors Zuinglii, an.* 1531. *Mors Oecolampadii, eodem anno. Reformatio* GENEVENSIS. *Reformatores*, Farellus, Viretus, Frumentius. *Diſputatio Genevæ habita an.* 1535. *Miſſa abolita* 10. *Aug. ejuſdem anni. Libertas Genevenſium ſpiritualis & temporalis.* Johannes Calvinus. *Genevæ retinetur an.* 1536. *Ejus labores. Moritur an.* 1564. Theodorus Beza.

SECTIO III.

De Reformatione HELVETIÆ.

Reformatio HELVETIÆ.

Zuinglius, Oecolampadius.

DUm hæc in Germania fierent, haud abſimilis in Helvetia noſtra Sacrorum emendatio viſa eſt, curâ *Huldrici Zuinglii, Johannis Oecolampadii, Bertholdi Halleri*, alio-

rum-

sissimque Virorum præstantium, quos ad id operis adgrediendum Dei Providentia excitaverat. Natus Zuinglius annô 1484. in Toggiorum pago, quem *Domum Sylvestrem* dicunt; fuitque, Glaronæ primùm, hinc ad D. Virginis Eremitanæ, quam vocant, Ædem, denique & Tiguri, sacris Præpositus, publicúsque Concionator. Et maturè quidem, annô nempe salutis decimô sextô supra millesimum & quingentesimum, Lutheri nomine apud Helvetios necdùm auditô, prædicare Evangelium occœpit. At verò Tigurum vocatus, ineunte annô Sæculi illius decimô nonô, fortiùs id multò clariúsque adgressus est. Matthæum quippe, missis humanis commentationibus, solóque adhibito Scripturarum lumine, sacra é cathedra enarrandum sumpsit: Quô peractô, & Actus Apostolicos, & Epistolarum maximam partem, pari methodo explanavit. Quæ dum ageret, idem negotium, quod Germanicæ

Hallerus, præcipui Reformatores.

Natus Zuinglius an. 1484.

Prædicare incipit an. 1516.

Vocatur Tigurum initio an. 1519. & Scripturam purè exponit.

Digitized by Google

Indulgentiæ in Helvetia publicatæ.

Reformationi ansam præbuerat, ad eam etiam inter Helvetios promovendam non parùm contulit: Indulgentiæ nimirùm, ad quas per Helvetiam divendendas, missus est *Bernardinus Samson*, Mediolanensis, é familia Franciscanorum: Cujus cùm aviditas ac impudentia modum omnem excederent, promissâ etiam sceleratissimis, dummodò pecunia adesset, peccatorum quorumlibet veniâ, sibique adscriptâ animarum é Purgatorio extrahendarum adeò promptâ facultate, ut eas ad nutum suum evolare confirmaret, adversùs hæc ingens animorum facta commotio est: Et ea quidem ita vividè, tantóque successu impugnavit Zuinglius, animos quinetiam addente *Hugone*, Constantiensi Episcopo, ut aditu Urbis nugivendulo illi Monacho interdictum sit. Fuit hic primus Tigurinæ Reformationis gradus; quæ deinde, cùm ex Scriptis, tum ex Concionibus Zuinglii, novis quotidie auctibus crevit. Sed

Samsonis in illis vendendis impudentia.

Eas impugnat Zuinglius.

cùm

cùm multi obstreperent, Dominicani in primis, visum est Senatui, publicâ institutâ Disputatione, anno 1523. utriusque partis rationes audiri. Ergo Zvinglius doctrinam suam, 67. propositionibus inclusam, praesertim de Scripturae auctoritate, adversùs Traditiones, Concilia, Patres Ecclesiae, de Sanctorum intercessione ac invocatione, de Coelibatu Sacerdotum. &c. ita clarè adversùs quosvis contradicentes defendit, ut Edicto sanxerit Senatus Populúsque Tigurinus; »pergeret Zvinglius, »prout coeperat, sacrosanctam Evan»gelii doctrinam annuntiare, cæte»ríque omnes Sacrorum Ministri, »cùm in Urbe, tum in agro, nihil »proponerent, quod Evangelicæ »doctrinæ testimonio, & sacræ Scri»pturæ auctoritate probari non pos»set. Eam disputationem altera excepit, ad quam Constantiensis, Curiensis, & Basileensis Episcopi advocati sunt: Abfuerunt illi; sed ingens Ecclesiasticorum Virorum, ad

Prima Disputatio Tiguri, an. 1523.

Edictum Senatûs Populíque Tigurini de Evangelio purè prædicando.

Secunda & tertia Disputatio Tigur. eodem anno.

ſexcentos uſque, numerus, cùm ex Helvetia, tum ex Germania etiam, acceſſit. Vicit & hîc, & in tertia iterùm concertatione, Zuinglius. Quamobrem, obnitentibus licèt cæteris Helvetiæ Pagis, qui, Lucernæ congregati Januario menſe anni 1524. nihil immutandum in Religione ſanxerant, miſſiſque Tigurum Legatis à Reformationis propoſito abducere Socios tentaverant, hi nihilominùs, de veritate nihil ampliùs ambigentes, modeſtôque Sociorum literis datô reſponſô, ſacro illi operi manum admovêre. Et ſtatim quidem craſſiores quædam Superſtitiones abolitæ, putà ſolemnes Proceſſiones, Sacramenti circumgeſtatio atque expoſitio: Quin & apertæ in Eccleſiis Tumbæ, quibus Martyrum oſſa vel reliquiæ contineri dicebantur; ſed in pleriſque nihil, vel quiſquiliæ tantùm repertæ; ſicubi verò eſſent oſſa, terræ ſunt mandata. Aliquo pòſt tempore, putà Junio menſe an. 1524. ablatæ è Templis Imagines;

Decretum cæterorum Helvetiorum contra Reformationem, Lucernæ, 26. Januar. 1524.

Tigurini in propoſito conſtantes.

Superſtitiones abolitæ.

gines; tandémque Aprili mense an. 1525. Missa abolita est. Tigurinorum exemplum *Scaphusiani* & *Sangallenses* haud multò pòst secuti sunt; nec non etiam *Bernenses*, Evangelii facem his præferente *Bertholdô Hallerô*, publicâque habitâ 1528. inter utriusque partis Theologos disputatione: Quibus & *Basileenses*, præcone *Johanne Oecolampadio*, post plurium annorum laborem, nec sine aliquo inter Cives tumultu, anno 1529. accessêre. Cæteri Pagi non modò Reformationem non admiserunt, sed & bellum eâ occasione cum Tigurinis Bernensibúsque gessêre: Quod cùm sopitum aliquandiu fuisset, postmodùm recruduit, anno 1531.; in eóque occubuit *Zvinglius*, 11. Octobris illius anni, cùm ipse quadragesimum octavum ætatis annum ageret. Nec multùm ei supervixit *Oecolampadius*, ei semper conjunctissimus, dignissimúsque in opere Domini sodalis, sub Novembris finem morbo ex-

Missa abolita an. 1525.

Reformatio *Scaphusiana* & *Sangallensis.*

Reformatio *Bernensis*, an. 1528.

Reformatio *Basiliensis*, an. 1529.

Bellum inter Helvetios.

Mors Zuinglii, an. 1531.

Mors Oecolampadii, eodem anno.

stinctus

Digitized by Google

ſtinctus eôdem annô, qui ætatis ejus quadragesimus nonus erat. Zuinglio *Henricus Bullingerus*, insignis Theologus, Oecolampadio *Oſvaldus Myconius*, suffecti sunt. Emendatæ porrò Doctrinæ bonum, fœdere Bernensium atque viciniâ, GENEVÆ noſtræ etiam contigit, profectis inde atque commendatis *Gulielmo Farello* Vapincensi Delphinate, *Petro Vireto* Orbæ in ditione Bernensi nato, *Antonio Frumentio*, aliiſque, quorum documentis atque concionibus magna Civium pars veritatis lumine colluſtrata eſt. Ergo, publicâ habitâ, 30. Maii 1535. de capitibus controverſis Diſputatione, quâ *Jacobus Bernardus*, Theſium auctor, & *Farellus* atque *Viretus*, puriorem doctrinam per plures dies propugnârunt, tandem 10. Auguſti ejuſdem anni, Miſſalia Sacra ſolemni Ducentumvirûm decreto abolita ſunt. Sic adſerta Genevenſibus ſpiritualis Libertas eſt, annô alterô poſtquàm temporalem, excuſſô Epiſcopi

Reformatio GENEVENSIS.

Farellus, *Viretus*, *Frumentius*, Reformatores.

Diſputatio Genevæ habita.

Miſſa abolita 10. Aug. 1535.

Libertas Genevenſium ſpiri-

piſcopi jugô, qui ſtationem deſerue-rat, ſéque hoſtem Urbis præbuerat, comparâſſent. At verò, informem adhuc Religionis apud nos ſtatum perfectiùs ordinavit, ſaluberrimíſque in primis Diſciplinæ Legibus auxit, Vir benedictæ in omne ævum memoriæ *Johannes Calvinus*, Novioduno in Picardia ortus; qui, cùm Geneva fortè tranſiret, annô 1536. à Farello retentus eſt; immenſíſque laboribus, non Genevenſem modò Eccleſiam, ſed & totum Reformatum Orbem, erudiit atque illuſtravit; adeò ut de ejus nomine Reformati, quanti quanti ſunt, non rarò adpellentur. Obiit 27. Maii 1564. ætatis 55.; primariúmque in Eccleſia & Academia Genevenſi locum, *Theodoro Bezæ*, Vezelio, ſuo hactenùs Collegæ, reliquit; qui & ipſe, ingenii cultu, doctrinæ laude, plurimíſque laboribus, ad provectiſſimam ætatem, quintum putà Sæculi ſequentis annum, inclaruit.

tualis & temporalis.

Joh. Calvinus.

Genevæ retinetur an. 1536.

Ejus labores.

Moritur an. 1564.

Theod. Beza.

Summa

Summa Capita
SECTIONIS IV.
de Reformatione *Sueciæ* & *Daniæ*.

Reformatio SUECIÆ. Olaus Petri, *purioris apud Suecos doctrinæ præco. Ei se opponit* Johannes Magnus. GUSTAVUS *Rex Reformationi favet. Scriptura S. in Linguam Suecicam versa. Collatio Upsaliæ an.* 1526. *Reformatio in generalibus Regni Comitiis instituta, an.* 1527. *Reformatio* DANIÆ. CHRISTIERNUS II. *Rex puriori doctrinæ favet. Eam etiam fovet ac promovet Rex* FRIDERICUS. Georgius Johannis *&* Johannes Tausson, *puriorem fidem prædicant. Quatuor Articuli in Comitiis Othoniæ sanciti, an.* 1527. *Reformationis incrementa. Confessio ab utraque parte oblata Comitiis an.* 1530. *Fridericus R. moritur.* CHRISTIERNUS III.

III. *Friderici filius, invitis Proceribus atque Episcopis, Regnum obtinet.* Joh. Bugenhagius *Pomeranus ad Ecclesias ordinandas in Daniam vocatus. Reformatio in Dania solemni modo instituta*, 15. *Jun.* 1539.

SECTIO IV.

De Reformatione SUECIÆ *&* DANIÆ.

A proximis, si jam ad remotissimas Septentrionis oras cogitatione transferamur, per eas sese diffundentem, haud minori celeritate, Evangelii lucem cernemus. In SUECIA quidem, maturè admodum, nec multis post Lutheri exortum annis, divinum illud jubar emicuit, facem præferente *Olao Petri*, qui cùm Lutherum in Germania audîsset, redux in patriam, quæ acceperat, primùm apud amicos, deinde apertiùs disseminavit. Cujus doctrinæ ut cursum sisteret *Hadrianus* Pontifex, *Johannem Magnum* in Sueciam ablegavit. GUSTAVUS verò Erici

Reformatio SUECIÆ.

Olaus Petri, purioris apud Suecos doctrinæ præco.

Ei se opponit *Johannes Magnus.*

Digitized by Google

Erici filius, qui, pulsô CHRISTIERNÔ, primùm Gubernator, deinde Rex salutatus fuerat, quanquam Lutheranum animo jam imbiberat dogma, tamen, ne Episcopos gentémque togatam Regni primordiis in se concitaret, ei nondum publicè favebat. At, non multo pòst tempore, animi sensa aperuit, Clero Pontificio ea de caussa præprimis infensus, quòd partem redituum; urgente licèt necessitate, publicos in sumptus exogare nollet. Ergo, reluctantibus illis, non modò Lutheri libros non prohibuit, sed & novæ doctrinæ præcones Wittemberga accîvit, imò & *Olaum Petri* magnæ Ecclesiæ Holmiensis Concionatorem instituit. Ab hoc Sacer Codex in Linguam Suecicam versus; quæ Versio, Gustavi Regis auctoritate, toto passim Regno recepta est. Interim, ut solemnior Controversiarum elucidatio fieret, publica Collatio, præsente Rege, Upsaliæ habita est, annô 1526. quâ

GUSTAVUS Rex Reformationi favet.

Scriptura S. in Linguam Suecicam versa.

Petrus

Digitized by Google

Petrus Gallius Pontificiorum, *Olaus Petri* Evangelicorum partes agebant: Sed cùm nulla testimonia, prætèrquàm é Sacris petita Literis, admitterentur, Evangelica Veritas nullo negotio victrix evasit. Sic dispositis ad Sacrorum emendationem animis, Gustavus, annô sequenti 1527. rem ad Comitia Regni detulit, & vehementissimè ursit, eò usque ut se aliàs à Regni administratione recessurum minaretur. Quibus moti Regni Ordines, ad Gustavi pedes provoluti, ne Regnum deserat, rogant, se rem omnem ex ejus voto constituere paratos esse. Ergo statutum, ut Arces, quas tenebant Episcopi, Regi traderentur; bonorum Ecclesiasticorum pars in Regni usum cederet, aut Proceribus, à quibus manaverant, redderetur; denique, ejuratis Sacris Pontificiis, puriora toto Regno admitterentur.

Collatio Upsaliæ an. 1526.

Reformatio in generalibus Regni Comitiis instituta an. 1527.

In Daniâ, CHRISTIERNUS Rex, cùm Friderici Saxoniæ Electoris ex sorore

Reformatio DANIÆ.

CHRISTIERNUS II. R. puriori doctrinæ favet.

forore nepos esset, ad Avunculi exemplum, jam inde ab anno 1521. Lutheri doctrinam in pretio habuit; imò & Doctorem quendam, *Martinum* nomine, Wittemberga accivit, qui sibi à sacris esset. Sed cùm exosus, non Danis minùs quàm Suecis, evasisset Christiernus, Regno cedere coactus est anno 1523. atque in Germaniam se recipere, ubi longissimam quidem, ad annum usque 1559. ætatis 78. sed miserrimam, per exsilia & carceres, vitam traduxit.

Eam etiam fovet Rex FRIDERICUS.

Georg. Johannis, Joh. Tausson, &c. puriorem fidem prædicant.

Pulsô illô, FRIDERICUS Holsatiæ dux, Christierni patruus, in Regem eligitur, neque alio est in puriorem doctrinam animo: quæ à *Georgio Johannis*, *Johanne Tausson*, aliisque, liberè deinceps fuit proposita. Cùm verò obsisterent Episcopi, cæterique Clerici, Rex, habitis Othoniæ in Fionia Comitiis, an. 1527. gravissima oratione emendandæ Religionis necessitatem demonstravit. Quibus persuasi Ordines, renitentibus licèt Ecclesiasticis, in capita

hæc

Digitized by Google

hæc consensêre: 1. ut liberum cuique sit, utri velit Religioni, Lutheranæ an Pontificiæ, adhærere; 2. Religionis caussâ turbandum neminem esse; 3. Regem protecturum Lutheranos, adversùs vim omnem & tyrannidem hostium; 4. Monachis & Monialibus liberum fore, é claustris, si velint, egredi, imò & nuptias contrahere. His sancitis, nova quotidie purior fides incrementa cepit, eam tradi curante Rege, & *Joh. Tausson* ad concionandum Hafniam missô. Qua de re cùm Præsules aliique é Pontificiorum grege quererentur, oblata est Comitiis an. 1530. ab utraque parte Confessio; decretúmque, ut Evangelici in instituto pergerent, usquedùm generali Concilio Religionis negotium definiretur. Hæc inter, *Fridericus* moritur, an. 1533. Quâ opportunitate usi Pontificii, *Christiernum*, filium Regis natu maximum, ob Lutheranismi suspicionem, à Regni successione removent,

IV. Art. in Comitiis Othoniæ sanciti an. 1527.

Incrementa Reformationis.

Confessio ab utraque parte oblata Comitiis an. 1530.

Fridericus R. moritur an. 1533.

vent, eíque *Johannem* minorennem præferunt, quòd in Sacris Pontificiis institutus esset: Simul, Johannem Tausson, aliósque novæ doctrinæ præcones, Regno cedere jubent. Ita statuebant Proceres: sed alia fuit Plebis sententia, cujus favore CHRISTIERNUS III. non tamen sine multo labore & sanguine, paternum Regnum recuperavit. Iste, cùm Episcopos adversantes expertus esset, secretâ habitâ cum Senatoribus deliberatione, septem Episcopos uno die in vincula conjicit, eorúmque loco Antistites (*Superintendentes* vocant) collocat; *Johannem Bugenhagium*, Pomeranum, Wittemberga accérsit, qui totam Ecclesiarum rationem constituat; denique 15. Jun. 1539. in publicis Othoniæ Comitiis, colophonem Reformationis operi admovet, cui Rex ipse atque Senatores se constanter adhæsuros, non verbis solùm, sed ipsâ etiam subscriptione, professi sunt.

CHRISTIERNUS III. Frid. F. invitis Proceribus atque Episcopis, Regnum obtinet.

Joh. Bugenhagius, ad Ecclesias ordinandas, in Daniam vocatus.

Reformatio in Dania solemni modo instituta, 15. Jun. 1539.

Summæ

Summa Capita
SECTIONIS V.

De Reformatione *Angliæ* & *Scotiæ*.

Reformatio ANGLIÆ. HENRICUS VIII. *Rex contra Lutherum scribit.* Defensoris fidei *titulum accipit à* Leone X. *P. Vult* Catarinæ Aragoniæ *repudium mittere. A* Clemente VII. *post varias moras, & inania promissa, repulsam patitur. Catarinam dimittit, &* Annam Boleniam *uxorem ducit. Hæc damnat Papa, & Henrico anathema dicit. Angliæ Regnum à Papa discedit, & Rex Angliæ* Caput Ecclesiæ *declaratur, an.* 1532. *Clerus Anglicanus, ob Regni Leges violatas, in jus vocatus. Romanæ Adpellationes interdictæ. Electiones Ecclesiasticæ ad antiquum morem revocatæ. Monasteria suppressa,*

an. 1535. *& seq. Biblia S. Anglicè versa, & in publicum privatúmque usum vocata. Henrici VIII. sævitia in Reformatos. Liber de Religione à* Thoma Crannero *editus. Moritur Henricus VIII. an.* 1547. EDWARDUS VI. *Angliæ Rex. Fidei Confessio, Liturgia, & Ordinationum Liber.* Martyr, Bucerus, Fagius, *&c. in Angliam acciti. Edvvardus moritur, an.* 1553. JOHANNA GRAYA *paucorum dierum Regina.* MARIA, *Angliæ Regina, Papatum reducit, & Protestantes crudeliter vexat. Martyres sub Maria. Cranmeri martyrium. Maria Reg. moritur an.* 1558. ELIZABETHA *succedit. Reformatio in perpetuum restituitur & adornatur.*

Reformatio SCOTIÆ. Patricius Hamiltonius *purioris doctrinæ præco. Ejus martyrium an.* 1530. *Alii Martyres an.* 1537. & 1539. JACOBUS V. *Scot. R. moritur an.* 1542. *Nova Martyria an.* 1545. *& seq. Card. Santandreani, sævi perse-*

persecutoris, cædes. Motus Edimburg. contra imaginem S. Andreæ. Regina libertatem conscientiæ pollicetur; sed fidem datam fallit. Turpe ejus dictum de Principum fide. Bellum inter Reginam Regentem, & maximam partem Gentis Scoticæ. Reformatio in Scotia instituta, auctore præc. Joh. Knox, *Calvini discipulo.* MARIA STUARTA, *Scotiæ Regina, Regi Galliæ* Francisco II. *nupta. Nubit secundùm* Henrico Stuarto, *aliàs* Darlæo. *Res tragicæ Mariæ Stuartæ, in Anglia decollatæ an.* 1587. JACOBUS, *Scotiæ Rex, in Religione Reformata educatus, eique addictus.*

SECTIO V.

De Reformatione ANGLIÆ *&* SCOTIÆ.

ET ANGLIA quoque, mirabili prorsùs Dei Providentiâ, versísque ad divinorum operum exsecutionem humanis adfectibus, rec- **Reformatio ANGLIÆ.**

 tioris

tioris fidei compos evasit. Nam initio quidem, HENRICUS Rex, ejus nominis VIII. caussæ Pontificiæ addictissimus fuerat, scriptô etiam contra Lutherum de *septem Sacramentis* Ecclesiæ Romanæ librô: Qua de caussa, *Defensoris Fidei* titulo à *Leone X.* Pontifice ornatus est, quo titulo Angliæ Reges ad hunc usque diem decorantur. At eô Rege, non multis pòst annis, à Romana Sede abalienatô, insignis in Religionem mutatio inducta est, major etiam postmodùm futura. Occasio fuit designatum ab Henrico cum *Catarina Aragonia* divortium; seu quòd illa *Arturio* Principi, ipsius fratri, antea nupsisset, quæ ratio in vulgus proferebatur; seu quòd masculam prolem suscipere in votis haberet, quæ à Catarina sperari ampliùs non poterat; seu quòd hujus tædio, ob novos amores, aliámve ignotam caussam, teneretur. Ergo se applicat Romano Pontifici, pro temporum illorum more, quò faciendi

HENRICUS VIII. R. contra Lutherum scribit.

Defensoris Fidei titulum accipit à Leone X. P.

Vult *Catarinæ Aragoniæ* repudium mittere.

faciendi divortii sibi facultas concederetur: Eámque impetrâsset hauddubiè, Romanâ Curiâ in hujusmodi dispensationibus nimio plus facili, nisi *Caroli* Imperatoris, cujus matertera erat Catarina, auctoritas & studia contrà stetissent. Cùm igitur, post multas pollicitationes, multásque moras, se à *Clemente VII.* delusum animadverteret, aliâ viâ (auctore consilii *Thoma Cranmero*, tunc Doctore Cantabrigiensi, postmodùm Cantuariensi Antistite) rem expedire cum animo constituit. Conquisitis nempe celeberrimorum per Europam Doctorum & Academiarum sententiis, cùm pars maxima divortio faveret, in eámque præprimis partem Anglicæ Academiæ propenderent, *Catarinam* quidem dimisit, *Annam* verò *Boleniam* uxorem duxit. Utrumque factum damnat Pontifex, irritúmque esse jubet, dictis etiam Romano more in Henricum & Annam diris. Sed nihil hæc Henricum movent; qui à Ro-

A *Clemente VII.* post varias moras, & inania promissa, repulsam patitur.

Catarinam dimittit, & *Annam Boleniam* uxorem ducit. Hæc damnat Papa, & Henrico anathema dicit.

auctoritate editus; quô, si non omnes, certè non pauci Ecclesiæ Romanæ errores arguebantur. Hæc sub Henrico. At, mortuô illô, Januario mense anni 1547. sub ejus filio & successore EDWARDO VI. novem annorum, sed optimæ indolis, eximiarúmque supra ætatem dotium puero, auspice inprimis *Edwardo Seymurio*, Somersetio Duce, Regis avunculo, Regníque Protectore, Pontificia Sacra abolita, Reformationísque opus feliciter absolutum est. Tunc scripta Fidei Confessio, nec non & Liturgia, ac Ordinationum Liber: Quæ non à Clero duntaxat, sed & à suprema Regni Curia adprobata & confirmata sunt. Vocati tunc in Angliam, benignéque excepti, magno numero Viri eruditi, qui puriorem Fidem in Ecclesiis & Academiis docerent, ut *Petrus Martyr*, *Martinus Bucerus*, *Paulus Fagius*, aliíque, quorum operâ atque consiliis in adornando ac promovendo Religionis negotio usus est

Moritur Henricus VIII. an. 1547.

EDWARDUS VI. Angliæ Rex.

Fidei Confessio, Liturgia, & Ordinationum Liber.

Martyr, *Bucerus*, *Fagius*, in Angliam acciti.

Digitized by Google

est Cranmerus. Verùm lætam illam renascentis Evangelii segetem vastavit propemodùm atque oppressit, eximii Principis, & ad bona omnia surgentis, obitus: Qui terris tantùm ostensus, immatura præreptus est morte, Julio mense an. 1533. cùm nonnisi sextum Principatûs annum ageret. Et ille quidem, ante obitum, ut Religionis securitati prospiceret, cui *Mariam* sororum natu majorem infensam esse noverat, dubiisque de natalibus Elizabethæ animis, de consensu Procerum, exhæredatis sororibus, ad JOHANNAM GRAYAM Henrici VIII. ex sorore proneptem, fœminam excellentis ingenii, sanæque doctrinæ addictam, Regni successionem transtulerat: Quæ re verâ quarto pòst die Regina pronuntiata est. At res Populo Nobilibúsque displicuit, non tam studio Mariæ, quàm odio Northumbrii ducis, Johannæ soceri, qui consilii auctor habebatur. Ergo MARIA inauguratur; Johanna & Northumbrius capite

Edwardus VI. moritur, an. 1553.

JOHANNA GRAYA paucorum dierum Regina.

MARIA Angliæ Regina.

Papatum reducit, & Protestantes crudeliter vexat.

pite plectuntur. Nec multò pòst, Papisticis innutrita sacris Regina, non ea modò in integrum restituit, admissô in Angliam *Polô* Cardinali, qui Regni Ordines Pontificis nomine in gratiam reciperet, sed & Protestantes, toto Regni tempore, crudelissimè vexavit, participe consiliorum *Philippô II.* cui nupserat, Hispaniarum Rege; cujus tamen suasu ferunt *Elizabetham* Mariæ sororem, Politicis de rationibus, ab exitio servatam esse. Ingens sub

Martyres sub Maria.

Maria Martyrum numerus, Fidei caussâ interemptorum, quos inter *Ridleius*, *Latimerus*, *Hooperus*, Episcopi, ipséque etiam *Cranmerus*, qui cùm humana imbecillitate mortísque metu statim lapsus esset, mox culpam illam, non lacrymis modò & pœnitentia eluit, sed & constantissimo martyrio; eâ dextrâ quâ peccaverat, primùm omnium, animo imperterrito flammis admotâ. Sic furebat in Dei servos *Maria*; nováque indies ad opprimendos Pro-

Cranmeri martyrium.

Maria Reg. moritur an. 1558.

testan-

testantes moliebatur, cùm, annô Principatûs quintô, hujus Saeculi 58. exstincta est; derivatúmque in sororem Elizabetham, Henrici VIII. ex Anna Bolena filiam, Regnum. Haec in melioribus à puero instituta Sacris, ea restitui atque adornari statim curavit, operâ in primis *Thomae Parkeri*, Cantuariensis Archiepiscopi. Cui operi perficiendo atque firmando, haud obstantibus non unîus Pontificis diris, creberrimásque Papicolarum molitionibus, felicissimus & ad annum usque quadragesimum quintum productus Elizabethae dominatus non parùm contulit.

Elizabetha succedit.

Reformatio in perpetuum restituitur & adornatur.

Post res Angliae, monet loci situs rerúmque ordo, ut de vicina Scotia pariter dicamus. In eam illata, à juvenibus quibusdam Scotis, purioris doctrinae semina, quae ipsi in Germania hauserant: Quos inter primas tenuit *Patricius Hamiltonius*, ex nobilissima Hamiltoniorum gente, Comitis Araniae ex fratre nepos. Iste, cùm per Germaniam

Reformatio Scotiae.

Patric. Hamiltonius, purioris doctrinae praeco.

niam iter faciens Lutheri dogmate imbutus fuisset, atque ob raras ingenii dotes, eruditionémque singularem, Professor Theologiæ in Academia Marpurgensi creatus, postmodùm in patriam redux, veritatem disseminaturus, à Dominicano quodam Monacho *Alexandro Cambello* proditus est, vivúsque crematus annô 1530.: quod supplicium, juvenis licèt, magna cum animi constantia toleravit. Septennio pòst, alii Lutherani (sic Protestantes vulgò dicebantur) in Scotia detecti, & quinque ex illis pariter cremati sunt: Quibus & quinque alii biennio pòst accessêre; cæteris in fugam datis, intérque alios *Georgio Buchananò*, Poëta atque Historico perquàm eleganti, qui, dormientibus custodibus, per fenèstram elapsus est. Verùm quæ doctrina, regnante JACOBO V. ardentibus licèt rogis, disseminari jam cœperat, mortuô illô an. 1542. magis magisque sese extendit. Sed prorex *Hamiltonius*, qui

Ejus martyrium, an. 1530.

Alii Martyres an. 1537. & 1539.

JACOBUS V. Scot. R. moritur an. 1542.

qui ei primùm faverat, eandem pòst ejuravit: Neque supplicia in ejus præcones sequacésve desiêre, auctore inprimis atque impulsore Cardinali Santandreano, *Davide Betonio*, qui mox sævitiæ pœnas luit, Proceribus exosus factus, atque in proprio cubiculo confossus, cadavere eum ipsum in locum projectô, unde *Sephocardi* Evangelici Pastoris martyrium paullò antè spectaverat: Subsecutis annis, Maria Lotharinga, defuncti Regis viduâ, Regnum administrante, à Reformatorum suppliciis haudquaquam cessatum est: Quibus tamen veritatis scintillæ, non modò non exstinctæ, sed potiùs excitatæ sunt. Unde, cùm populi Edimburgensis pars non exigua à Papatu abhorreret, imaginémque D. Andreæ, quæ per Urbem circumferebatur, arripuisset, pedibúsque proculcâsset, orta eam ob rem seditione, Reformatísque conscientiæ libertatem sibi concedi postulantibus, metuens sibi Regina

Nova Martyria, añ. 1545 & seq.

Card. Santandreani, sævi persecutoris, cædes.

Motus Edimburg. contra imaginem S. Andreæ.

Regina libertatem conscient.

S. statim

statim annuere necesse habuit. At postea, seu propriâ sponte, seu instigantibus Guisiis, quorum illa soror erat, fidem Scotis datam fefellit. Quinimò dicitur, supplicibus illis, datique promissi memoriam renovantibus, respondisse, *Promissorum fidem non aliàs à Principibus exigendam, quàm ubi commodum eis videretur.* Ad quæ illi, *se ergo obsequium omne, parendíque necessitatem, ei renuntiare*: simúlque, quantæ hinc calamitates exorituræ essent, significant. Sic exasperatis animis, ab utraque parte bellum instruitur. Fœderatis Angli, Reginæ Galli auxilia præbent. Quos inter tumultus, variúmque martem, instituta plérisque in locis, à Populo atque Proceribus, Religionis emendatio est, disjectæ Imagines, Missa abolita, Monasteria eversa, eáque regiminis Ecclesiastici forma constituta, quam *Johannes Knox*, Calvini discipulus, à Magistro acceperat. Moritur interea Regina Regens, annô 1560.

Mori-

(Margin notes:) [illegible]ta polliceatur; sed fidem datam fallit. Turpe ejus dictum de Principum fide. Bellum inter Regi[n]am Regentem, & maximam partem Gentis Scoticæ. Reformatio in Scotia instituta, auctore præc. *Joh. Knox*, Calvini discipulo.

Digitized by Google

Moritur itidem, sub anni exitum, Galliæ Rex *Franciscus II.* cui MARIA STUARTA, Scotorum Regina, nupserat. Ista, pacatis quadantenùs rebus, relictis Galliis, in Scotiam remeat, cognatóque *Henrico Darlæo*, aliàs *Stuarto*, quem regia auxit dignitate, secundis votis juncta est: Ex quo conjugio *Jacobum*, postmodùm Scotiæ, deinde & Angliæ Regem, peperit. Sed quæ tragœdiæ actæ pòst fuerint, miserè occisô Henricô Rege, Regináque cædis suspectâ, ob turpes cum Botwellio statim à cæde initas nuptias, hinc exosâ illâ suæ Genti, in carcerem traditâ, Regno cedere coactâ, in Angliam fugiente, sed ibi comprehensâ atque detentâ, tandémque, ob perpetuas in Elizabetham molitiones, à Senatu Anglico capitis damnatâ atque decollatâ, an. 1587. ea omnia fusè enarrare, nostri propriè instituti non est. Firmatus interim magis magísque apud Scotos purus Dei Cultus, in eóque

MARIA STUARTA Scotiæ Regina, Regi Gall. *Francisco II.* nupta. Nubit secundùm *Henrico Stuarto*.

† Res tragicæ Mariæ Stuartæ, in Anglia decollatæ an. 1587.

Digitized by Google

JACOBUS Scot. R. in Relig. Reformata educatus, eique addictus.

JACOBUS Rex sedulò institutus: Quod & Scriptis de Religione, seu dum uni Scotiæ præesset, seu post adeptam Anglici Regni hæreditatem, luculenter testatum dedit.

Summa Capita

SECTIONIS VI.

De Reformatione in Gallia.

Reformatio qualis in GALLIA. *Literarum* παλιγγενεσία *puriorem Fidem in Galliam infert.* FRANCISCUS I. *Gall. R. Reformatis adversus.* Margareta *Navarrena iisdem favet. Res reformata per Aquitaniam & Benearniam pullulat. Septem capita emendanda à Regina Navarrena proposita. Prima Ecclesia Reformata Meldis, an.* 1523. *Martyres tota Gallia. Principes Germani Protestantes de malè habitis Reformatis apud Franciscum Regem queruntur.*

runtur. Johannes Calvinus *Galliæ Reformatorum praecipuus. Merindolensium & Caprariensium laniena. Atrox judicium adversùs illos, an.* 1540. *Crudelissima ejusdem exsecutio, an.* 1545. *Testimonium de ipsorum innocentia. Moritur Franciscus I. an.* 1547. *Sub* HENRICO II. *novæ in Reformatos persecutiones. Viri Principes ad eos accedunt. Synodus Ecclesiarum Reformatarum Parisiis, an.* 1559. *Confessio Fidei, & Disciplinæ Ecclesiasticæ Leges. Senatores,* Ludovicus Faber, *&* Annas Burgus, *in carcerem missi. Mors Henrici II. an.* 1559. FRANCISCUS II. *Gall. R. Guisiorum & Borboniorum æmulationes vera caussa Bellorum Civilium. Princeps Condæus caput Reformatorum; eorum hostes Guisii. Annas Burgus comburitur. Conjuratio Ambosiana. Moritur Franciscus II. R. an.* 1560. CAROLUS IX. *succedit. Colloquium Possiacenum an.* 1561. *Communio sub utraque specie, &*

Conjugium Clericorum, ab Aula Gallica petuntur, tum à Papa, tum à Concilio Tridentino, sed frustrà. Cædes Vassiacensis. Primum Bellum Civile. Drocensis pugna, an. 1562. *Pax, Martio mense an.* 1563. *Secundum Bellum Civile, an.* 1567. *Prælium San-Dionysianum. Pax,* 1568. *Tertium Bellum Civile. Pugna Jarnacensis & Moncontoriana. Pax,* 1570. *Nuptiæ* HENRICI *Navarræ Regis cum* Margareta *Gall. Regis sorore. Laniena Reformatorum, die S. Barthol.* 24. *Aug.* 1572. Gasparis Colinii, *Maris præfecti, cædes. Strages toto Regno se extendit.* XXX. *hominum millia interempta. Aula Romana hanc stragem adprobat, & de ea gloriatur. Quartum Bellum Civile, an.* 1573. *Obsidio Sancerræ & Rupellæ. Pax eodem annô. Quintum Bellum, an.* 1574. *Mors Caroli IX.* HENRICUS III. *antea Poloniæ, nunc Galliæ Rex. Sacrum fœdus, seu* Liga. *Sextum Bellum,* com-

compositum an. 1577. *Septimum Bellum, an.* 1579. *Pax, an.* 1580. *Octavum Bellum an.* 1585. *Pugna Cotrasiana. Guisii jussu Regis occisi, an.* 1588. *Henricus III. à Jacobo Clemente Dominicano confoditur, an.* 1589. *Exstinctis Valesiis, jus Regni transit ad* HENRICUM BORBONIUM, *Navarræ Regem. Card. Borbonius à Ligatis Rex salutatus. Henricus IV. R. ad Pontificiam Religionem deflectit. Edictum Nannetense in gratiam Reformatorum, an.* 1598.

SECTIO VI.

De Reformatione in GALLIA.

NOn ea fuit GALLIÆ felicitas, ut adinstar Angliæ, Scotiæ, Sueciæ, Daniæ, magnæque partis Germaniæ atque Helvetiæ, Reformationem publicâ auctoritate admitteret: Verumtamen haud exiguos purior Doctrina eo in Regno pro- **Reformatio qualis in Gallia.**

Literarum φιλογνωσία puriorem Fidem in Galliam infert.

FRANCISCUS I Gall. R. Reformatis adversus.

Margareta Navarræna iisdem favet.

greſſus fecit. Quam ad rem, bonarum Literarum inſtauratio, tótque Viri Docti FRANCISCI Regis patrocinio & munificentia excitati, non parùm contulêre. Sed qui Princeps Literis favebat, non perinde ſanioribus Sacris, quibus Literæ viam fecerant, patrocinabatur: quorum in præcones atque adſeclas, eô regnante, paſſim ſævitum eſt. Quanquam non deerant, ne in ipſa quidem Franciſci domo, Principes viri atque fœminæ, qui renaſcenti Evangelio faverent, Principíſque animum emollire niterentur. Quo in numero præ cæteris fuit *Margareta*, Franciſci Regis ſoror, *Henrico Albretano* Navarræ Regi nupta, præcellentis mulier ingenii, quæ Viros de Religione rectè ſentientes penès ſe multos habuit, intérque alios *Jacobum Fabrum* Stapulenſem, *Gerardúmque Rouſſelium*, quem Cleracenſem Abbatem, deinde & Oleronenſem Epiſcopum renunciavit: Qui duo, quanquam à Romana Eccle-

ſia

sia apertè non discesserant, aversissimo tamen erant à superstitionibus animo, veræque Doctrinæ progressibus non obscurè famulabantur. Et hujus quidem Reginæ favore, per Aquitaniam ac Benearniam Reformata res pullulavit, habitis Cœtibus, creatis Pastoribus, & sacrâ Domini Cœnâ Evangelico ritu celebratâ. Quibus indignato Rege, sororémque increpante, illa septem potissimùm capita immutanda proposuit; 1. Ut nullæ essent Missæ sine communicantibus. 2. Ut nulla fieret Hostiæ elevatio. 3. Ut nulla esset ejusdem adoratio. 4. Ut Communio sub utraque specie fieret. 5. Ut in Missæ solennibus, nulla fieret B. Virginis nec Sanctorum commemoratio. 6. Ut communis panis frangendus, & populo distribuendus adhiberetur. 7. Ut Presbyteri ad cœlibatum non adigerentur. Verùm hæc omnia (*Missam septem capitum* dixêre) fastidiosè rejecta sunt; Iique Doctores, quos

Res Reformata per Aquitaniam & Benearniam pullulat.

Septem capita emendanda à Reg. Navarr. proposita.

Navarrena secum adduxerat, in carcerem conjecti; unde nonnisi reclamante illâ educti sunt. Interim, per varias Galliæ Urbes, cœtus agebant Reformati; qui sicubi innotescerent, pœnis gravissimis, & sæpe quidem capitalibus, coërcebantur.

Prima Ecclesia Reform. Meldis, an. 1523.

Prima *Meldis*, haud procul Lutetia, Ecclesia dicitur fuisse, præcopem agente *Johanne Clerico*, lanæ, ut ferunt, carminatore; qui comprehensus, & flagris cæsus, Mediomatricas se recepit, ubi cùm concionari pergeret, martyrio fidem obsignavit. Et initio quidem Reformatis faverat *Gulielmus Briçonetus*, Meldensis Episcopus, cujus in familiaritate *Farellus*, aliíque veræ doctrinæ instauratores fuerant: Sed isti mox dispersi; Farellus in Helvetiam, alii aliò se contulêre.

Martyres tota Gallia.

Neque verò pauci memorantur horum temporum Martyres, qui, cùm Lutetiæ, tum alibi passim, renascentis Evangelii veritatem inter suspendia, rogósque defendêre; quos

inter

inter eminuit *Ludovicus Berquinus*, vir ex Artesia nobilis, qui Lutetiæ an. 1529. primùm strangulatus, deinde & crematus est. De quibus suppliciis cùm questi essent apud Franciscum Germaniæ Principes, eâ ratione se excusabat, quòd nonnisi in Fanaticos, Magistratuúmque contemptores, pœnæ illæ irrogarentur: Quod quàm à vero alienum esset, cùm alia satis docebant, tum id in primis demonstratum est à *Johanne Calvino*, adhucdùm juvene, inter Galliæ Reformatores longè præcipuo, luculento illo *Institutionis Christianæ* opere, quod Francisco Regi nuncupavit. Verùm nihil dirius neque iniquius, regnante Francisco I. adversùs Reformatos transactum est, horrendâ illâ Merindolensium & Caprariensium laniena, quæ annô hujus Sæculi 45. contigit. Erant illi veterum Valdensium propago; qui, cùm in alias passim regiones, tum in montana Provinciæ, seu Galliæ Narbonensis,

Principes Germ. Protestantes de malè habitis Reformatis apud Franciscum R. queruntur.

Joh. Calvinus Galliæ Reformatorum præcipuus.

Merindolensium & Caprariensium laniena.

Digitized by Google

se receperant; ibique adsiduo cultu & labore indefesso vitam sustentabant. Hi, postquàm de emendata à Protestantibus religione fama sparsa esset, eorum se fratres declaraverant: sed, ut ejusdem fidei, ita & ejusdem odii suppliciorúmque consortes fuêre. Cùm enim à Senatu Aqui-sextiensi in jus vocati, metu periculi sibi impendentis haud comparuissent, decretum, ut, tanquam contumaces, internecione omnes delerentur, bona fisco addicerentur, ipsáque loca quæ incolebant, dirutis ædificiis, resectísque arboribus, solo æquarentur. Et atrox quidem illud judicium, dum vixit Præses *Chassaneus*, exsecutioni haud mandatum est. Sed qui successit *Oppedius*, exsecrandæ vir memoriæ, extortâ à Rege per atroces calumnias exsequendi hujus Edicti licentiâ, conscriptum à se militem in miseros illos Fideles duxit; à quo direptis oppidis atque incensis, fugientes, nullâ sexûs vel ætatis discrimine, trucida-

Atrox judicium adversùs illos, an. 1540.

Crudelissima ejusdem exsecutio an. 1545.

cidabantur; plurimi ad Merindolium, aliósque pagos; Caprariæ, ad octingentos usque. Fœminæ superstites horreo straminis pleno inclusæ, admoto igne ustulatæ; quæ per fenestras eripere se tentabant, uncis ferreis atque furcis in ignem repellebantur. Quod reliquum fuit, montanis inclusi, fame ac ferarum laniatu exstincti sunt. Et hæc fuit barbara illa exsecrabilísque laniena, quæ à Francisco I. adprobata, sub Henrico tamen II. examini subjecta est, & quidam ex auctoribus pœnas dedêre. Habetur narratio hujus tragœdiæ ab auctore minimè suspecto, Pontificiæ religionis, *Jac. Aug. Thuano*, optimæ notæ fideíque Historico: Qui & narrat, Franciscum I. antequàm sævi illius Edicti exsecutionem permitteret, de doctrina & moribus hominum illorum, per *Gulielmum Bellaium Langæum* Subalpinæ Provinciæ Præsidem, inquisitionem fieri jussisse; ex qua, de ipsorum innocentia & pietate (nisi

Testimonium de ipsorum innocentia.

quòd

quòd à Papalibus Superstitionibus abhorrerent) abundè constitit. Sed quis effectus? Nonnisi trium dilatio mensium, ad resipiscendum ipsis concessa: si persistent, supplicium more solito de iis sumatur. Sic se res Reformatorum habuêre, adusque mortem *Francisci I.* quæ an. 1547. accidit. Sed nec mitiùs cum iis actum est sub HENRICO II. Francisci filio & successore, quô regnante ingens fuit Martyrum numerus, quorum nomina atque supplicia in *Bezæ* Hist. Eccl. videri possunt. Sed his non obstantibus, crescebat fides; Viris primariæ dignitatis, *Antonio Borbonio* Navarræ Rege, ejusque fratre *Ludovico Principe Condæo*, nec non & fratribus *Coliniis*, ad eam inclinantibus, Ecclesiisque non paucis toto passim Regno exstructis. Quarum omnium Delegati Synodum Nationalem Parisiis celebrârunt an. 1559. In qua quidem, Fidei Confessio, scriptore, ut ferunt, *Ant. Chandæo*, Parisiensis Ecclesiæ Pastore,

Moritur Franciscus I. an. 1547.

Sub HENRICO II. novæ in Reformatos persecutiones.

Viri Principes ad eos accedunt.

Synodus Eccles. Reform. Parisiis, an. 1559.

re, nec non & Disciplinæ Leges, communi consensu adprobatæ ac receptæ sunt. Hoc ipso tempore, cùm de pœnis in Sectarios statuendis in Senatu deliberaretur, supervenit Rex, auditísque singulorum sententiis, eos qui liberiùs pro Religionis emendatione locuti fuerant, putà *Ludovicum Fabrum*, & *Annam Burgum*, comprehendi jussit, tribus insuper propriis in ædibus non multò pòst captis, aliísque tribus amicorum operâ periculo se subducentibus. Dum verò delegati à Rege Judices de caussa Senatorum illorum cognoscerent, & ad eorum se damnationem accingerent, en Rex ipse, in hastiludio, grave ad oculum vulnus accipit, ex eóque in ipso ætatis flore exstinguitur. Succedit juvenis adhuc atque infirmus FRANCISCUS II. omnia gerente *Catarinâ Mediceâ* matre, summæque rerum præfectis *Guisiis*, *Carolo* nempe Cardinali, & fratre *Francisco*, quorum neptim *Mariam* Scotiæ Reginam

Confessio Fidei, & Disciplinæ Eccles. Leges.

Senatores, *Lud. Faber*, & *Ann. Burgus*, in carcerem missi.

Mors Henrici II. an. 1559.

FRANCISCUS II. Gall. R.

Digitized by Google

ginam matrimonio sibi junxerat Rex Franciscus. Hos inter & *Borbonios* Principes, Regiæ familiæ cognatione proximos, natæ de imperio æmulationes atque discordiæ, longam bellis civilibus ansam præbuêre; quorum Religio, si ex vero res æstimetur, nonnisi obtentus fuit. Cùm enim capita Reformatorum *Borbonii* essent, inprimis *Ludovicus* Princeps Condæus, *Guisii* contrà, ex novæ doctrinæ odio, zelóque in ea persumdanda, laudem quærebant. Ergo, his auspicibus ac promotoribus, novæ exardescunt toto Regno persecutiones. *Annas Burgus*, Parisiensis Senator, comburitur: Ægrè cæteri, nec sine damno evasêre: Ut pateret, valentibus Guisiis, extrema omnia timenda esse. Quamobrem, ut se imminenti periculo subducerent Reformati, simúlque ut Regiæ stirpis Principes ab intolerando Guisiorum jugo sese eximerent, consilium capitur, duce Condæo, de opprimendis Guisiis, Regéque ac Regno

Guisiorum & Borboniorum æmulationes vera caussa Bellorum Civilium.

Princeps Condæus caput Reformatorum; Eorum hostes Guisii.

Annas Burgus comburitur.

Conjuratio Ambosiana.

Digitized by Google

Regno armatâ manu ab eorum tyrannide liberandis. Verùm retectô, ante statum diem, ab uno ex consciis arcanô, Conjurati oppressi sunt: Multi occisi in armis, cæteri capti, & suppliciis adfecti. Ipséque Condæus in vincula conjectus, capite hauddubiè luisset, nisi mors Regis ei liberando, negotióque componendo, ansam dedisset. Sub CAROLO IX., novenni puero, potentiæ cupida *Catarina* mater, non ita se Guisiis permisit, quin subinde in eorum æmulos Borbonios inclinare videretur. Hinc mitiùs statim cum *Hugonottis*, seu Reformatis, actum est: Quos inter & Pontificios, habitum est Possiaci Colloquium, præsente Rege, totáque Aulâ, Julio mense anni 1561. Ex parte Reformatorum, collocutores erant *Theodorus Beza*, *Petrus Martyr*, *Augustinus Marloratus*, &c. Pro Pontificiis stabant, præter Cardinales *Lotharigum*, & *Turnonium*, *Claudius Espenæus*, *Claudius Santesius*, *Jacobus Lainez* è Societate

Moritur Franciscus II. R. fine anni 1560; CAROLUS IX. succedit.

Colloquium Possiacenum an. 1561.

cietate Jesu, &c. Sed cùm de variis actum esset, inprimis de Eucharistia & Ecclesia, nihil tamen confici potuit; in id unum intentis Pontificiæ partis Doctoribus, ut ne quid in receptis placitis aut usibus immutaretur. Verumtamen, ne nihil prorsùs emendationem postulantibus indulgeri videretur, post discessum Reformatorum, visum est Prælatis, ipsíque Aulæ, Communionem sub utraque specie, & conjugium Clericorum, à Papa expetenda esse. Sed, neque à Papa, neque à Concilio, quod Tridenti tum habebatur, quæcumque tandem fuerint Oratorum Gallicorum expostulationes, impetrari illa potuêre. Interim, cùm, uno atque altero Edicto, concessa Protestantibus quædam conscientiæ libertas fuisset, illúdque Guisios malè haberet, excitatô ad Vassiacum suæ ditionis oppidulum tumultu, Reformatísque plusquàm sexaginta inter sacra trucidatis, bello funestissimo initium dedêre.

Communio sub utraque, & Conjugium Clericorum, ab Aula Gallica petuntur, tum à Papa, tum à Conc. Trid.; sed frustrà.

Cædes Vassiacensis.

dêre. Et hoc quidem primum fuit Bellum Civile, Religionis non tam caussâ quàm occasione excitatum. In eo occisus Navarræ Rex *Antonius*, qui, deserto Fratre Condæo, ad Pontificias partes redierat. Occisus & à *Poltrotio* quodam per insidias *Guisius*: Ingénsque strages ab utraque parte in prælio Drocensi edita est; quô & capti *Momorantius* atque *Condæus*, diversarum partium duces; & *Santandreanus*, alter ex ducibus Pontificiorum, occisus. Quibus malis ut finis esset, sancita Pax annô sequenti 1563., concessáque Reformatis suorum Sacrorum libertas fuit. Sic tranquillæ per aliquot annos Reformatæ res fuêre. At, sparsâ postmodùm famâ, inter Aulam Gallicam atque Hispanicam de exscindendis Reformatis captum Baïonæ consilium esse, ab his arma resumuntur; præliúmque ad *S. Dionysium*, quô *Momorantius* regiorum dux occumbit, committitur. Cessêre hoc bello

I. Bellum Civile.

Drocensis Pugna an. 1562.

Pax, Martio mense an. 1563.

II. Bellum Civile an. 1567. Prælium San-Dionysianum.

T 2 multæ

multæ Civitates in manus Protestantium, intérque alias *Rupella*: At, dum illi *Carnutum* oppidum obsidione cingerent, de Pace conventum est, an. 1568. Quô ipsô annô nihilominùs, redintegratum est bellum, pugnatúmque ad *Jarnacum* & *Moncontorium*; & Protestantium dux *Condæus* occisus: Neque alia lege initi pax valuit, quàm munitis Urbibus quatuor, *Rupella*, *Montalbano*, *Cognaco*, & *Caritate*, Protestantibus, securitatis caussâ, relictis. Verùm, quo tempore se maximè tutos, maximéque Regi acceptos censebant, immani perfidia & crudelitate structæ in eos insidiæ sunt, quibus immensa ipsorum multitudo oppressa est. Scilicèt, ad nuptias *Henrici* Navarræ Regis cum *Margareta* Caroli IX. sorore, invitati magno numero Protestantium nobilissimi quique, sed eo fine invitati, ut Parisiis uno omnes die, ac velut uno ictu, trucidarentur. Dies delectus horrendo facinori, qui Bartholomæo sacer

Pax 1568.

III. Bellum Civile.

Pugna Jarnacensis & Moncontoriana.

Pax 1570.

Nuptiæ *Henrici* Nav. R. cum *Margareta* Gall. R. sorore.

Laniena Reformatorum, die S. Barthol. 24. Aug. 1572.

ſacer eſt, Sextilis menſis viceſimus quartus; ſtatutúmque, ut, auditis campanis, matutini ſacri indicibus, Hugonotti omnes, quotquot Lutetiæ eſſent, cæderentur. Factum initium à *Gaſpare Colinio*, Maris præfecto, viro fortiſſimo ac integerrimo, quem, paucis antè diebus, per inſidias jam vulneratum Rex ipſe inviſerat, blanditiiſque demulſerat. Is à militibus, quos Guiſius ſecum duxerat, confoſſus, nobiliſſimam animam magna cum conſtantia Deo reddidit; ejúſque cadaver per vicos tractum, nullo non dedecoris genere à furente plebe habitum eſt. *Sic* occiſo capite, mox ad cæteros omnes, nobiles, ignobiles, viros, fœminas, ſenes, pueros, derivata ſtrages fuit; ſolô ſponsô Navarræ Rege, ejúſque patruele Condæo juniore, exceptis; qui, ut vitæ conſulerent, ad Pontificia Sacra deflexêre, ea poſtmodùm dilapſô periculô ejuraturi. Neque ſolùm in Urbe regia, ſed & in cæteris Galliæ

Gaſp. Colinii, Maris præfecti, cædes.

Strages toto Regno se extendit.

civitatibus, Meldis, Aureliani, Tricassibus, Andegavi, Biturigibus, Lugduni, Tolosæ, Burdigalæ, &c. haud impari modo sævitum est. Non si centum essent ora, linguæque centum, describi omnes exsecrandæ hujus tragœdiæ furores possent; quibus triginta innocentum millia, nullô ætatis, sexûs, conditionis, discrimine, brevissimo tempore, ferro peremta sunt, incredibilisque tota Gallia excitatus luctus. Puduit certè detestandi facti, quotquot ex ipsis Pontificis humanitatem non prorsùs exuerant. Sed Aula Romana, sanguinis sitiens, pudendos, hôc acceptô nuntiô, triumphos egit, ejúsque memoriam, cusis Numismatibus, picturísque Vaticano appensis, ad posteros transmitti voluit. Verùm, ut iis quæ antecesserant, ita nec barbarâ hâc cæterísque cumulum adjiciente laniênâ, profligari Reformata res potuit. Quinimò, resumptis viribus, bellum instaurant; quô *Sancerra* atque *Rupella* à

XXX. hominum millia interempta.

Aula Romana hanc stragem adprobat, & de ea gloriatur.

IV. Bellum an. 1573.

Digitized by Google

à Pontificiis obſeſſæ, horrendáque fame preſſæ, mirâ conſtantiâ ſeſe defenderunt, ingentémque, defenſione ac eruptionibus, hoſtium vim deleverunt. Sed, vocatô ad Poloniæ regnum, eô qui regiis caſtris præerat, *Henricô*, Regis fratre, Rupellæ quidem obſidionem ſolvi, pacémque cum Reformatis inſtaurari oportuit. Sed nec ea ſtabilis fuit, novô rursùs exortô bellô; quô flagrante, *Carolus* Rex moritur, fratérque HENRICUS, Poloniæ Rex, in ejus locum ſuccedit. Iſte novam pacificationem cum Reformatis inſtituit. At illa non multò pòſt turbatur, initô à Guiſiis, eorúmque ſequacibus rigidioribus Pontificiis, atque inſtigante Romano Pontifice, famosô illô Pactô, quod Gallico nomine *Ligam* dixêre. Scopus fœderis, exſtinctio Reformatorum, Henricíque Navarræ Regis, cognatione licèt proximi, à Gallici Regni ſucceſſione remotio. Ea verò factione, incredibiles, per annos pluſ-

Obſidio Sancerræ & Rupellæ.

Pax eod. an.

V. Bellum an. 1574.

Mors Caroli IX. HENRICUS III. antea Poloniæ, nunc Galliæ R.

Sacrum Fœdus, ſeu *Liga*.

quàm viginti, toto Regno concitati motus, Rex interemptus, Regnúmque universum penè subversum est.

VI. Bellum, compos. an. 1577.

Ergo bellum redintegratur: Sed Bergeraci in Petrocoriis, an. 1577. componitur.

VII. Bellum, an. 1579. Pax an. 1580.

Biennio pòst, iterùm pugnatur. Sed Rex sibi à Ligatis metuens, pacem insequenti anno restituit. Quam pacem denuò turbantibus Guisiis, Reformatósque malè habentibus, arma resumit Navarræ

VIII. Bellum an. 1585. Pugna Cotrasiana.

Rex, Ligatósque, ad *Cotrasium* Aquitaniæ oppidum, vincit. Fervebat interim magis magísque, turbulenta illa, ipsique Regi formidabilis, Ligatorum factio: Cujus cùm capita Guisii essent, ambo, Blæsensibus

Guisii jussu Regis occisi, an. 1588.

Comitiis, an. 1588. Regis jussu occisi sunt. Qua tamen cæde, tantùm abest ut pacatæ res fuerint, ut ea contrà Ligatorum rabiem non parùm exasperârit; adeò ut adversùs Regem, tanquam hostem Ecclesiæ, fautorémque hæreticorum, nulla non convitia evomerent, eíque abrogandum cum vita Regnum, apertè

apertè clamitarent: Unde & ille, dum Luteriam obsidione cingeret, à Monacho Dominicano, *Jacobo Clemente*, cultrô in ventrem immissô confossus est, 2. Aug. 1589. Atque sic exstincta est stirps omnis *Valesia*, quæ Principum numero atque splendore haud multis antè annis floruerat. Translata hinc ad *Borbonios*, ipsumque adeò HENRICUM Navarræ Regem, successio: Qua ut eum fraudarent Ligati, *Cardinalem Borbonium* Henrici patruum Regem pronuntiant. Sed, hôc non multò pòst mortuô, Henricus sua armis jura fortiter vindicavit. Quod ut faciliùs obtineret, nec sibi ulteriùs detrimento essent Sacra diversa, Romanique Pontificis diræ, à Reformatorum partibus descivit, annô 1593. Quorum tamen securitati, Sacrisque liberè habendis, Edictô Nannetensi, an 1598. promulgatô, perpetuo ac irrevocabili à se dictô, cautum voluit.

Henricus III. à Jac. Clemente Dominic. confoditur an. 1589. Exstinctis Valesiis, jus Regni transit ad HENRICUM Borb. Navarr. Reg.

Card. Borbonius à Ligatis Rex salutatus.

Henricus IV. R. ad Pontif. Relig. deflectit. Edict. Nannet. in gratiam Reform. an. 1598.

Digitized by Google

Summa Capita

SECTIONIS VII.

de Reformatione in *Belgio*.

Reipublicæ & Reformationis in Belgio *primordia. Belgarum Privilegia violata. Inquisitio tentata*, Margareta *Parmensis*, *Belgii Gubernatrix*. Granvellanus *revocatur. Compromissum inter Nobiles, de tuenda Libertate, an.* 1566. *Libellus supplex ab iis oblatus, sed sine fructu. Unde ortum* Gueusiorum *nomen. Seditiones passim excitatæ.* Ferdinandus, *Dux Albanus, cum copiis in Belgium missus. Comites Hornanus & Egmondanus capite mulctati, an.* 1568. *Albani crudelitas. Multi patria cedunt.* Gulielmus Nassavius, *Princeps Arausionensis, dux fœderatorum. Pacificatio Gandavensis, an.* 1576.

Digitized by Google

1576. *Non multò pòst abrumpitur, Unio Ultrajectina, an.* 1579. *Fœderati* Philippi *R. obsequio se subtrahunt, an.* 1581. *Reipublicæ Fœderati Belgii natales. Gulielmus Princeps Arausionensis occisus, an,* 1584, Mauricius, *Princeps Arausionensis. Induciæ inter Hispanos & Belgas, an.* 1609.

SECTIO VII.

De Reformatione in BELGIO.

DUm hi vigerent de Religione in Gallia motus, nova exorta est in vicino BELGIO Respublica, quæ utramque simul Libertatem, corpoream & spiritualem, sibi comparavit. Suberat Hispanicæ dominationi Belgium, non tamen sine amplissimis Populorum privilegiis: De quibus cùm multùm, nec una in re, derogaret PHILIPPUS II. durúmque in primis *Inquisitionis*, quam vocant, jugum, Genti ab eo pridem

Reipublicæ & Reformationis in BELGIO primordia.

Belgarum Privilegia violata.

Inquisitio tentata.

dem abhorrenti, & ad puriora Sacra jam propendenti, imponere vellet, (quod & antea non uno jam Edicto tentaverat CAROLUS V.) magna animorum per eas Provincias facta commotio est. Utebatur *Margareta Parmensis*, Belgii Gubernatrix, consilio atque opera Cardinalis Granvellani, *Antonii Perenotii*; qui cùm violentorum illorum consiliorum auctor censeretur, ejus remotionem Nobiles Belgæ enixissimè petierunt. Sed; eô remotô, cùm eandem mentem, eadem molimina urgeri pateret, hinc novæ querimoniæ, novíque tumultus, quotidie existebant. Quinimò initâ inter Nobiles plus quàm quadringentos confœderatione (*Compromissum* dictum est) supplicem Libellum communi nomine Gubernatrici obtulerunt, 5. April. 1566., quô gravaminum emendationem, Legúmque de religione latarum revocationem, poscebant. At, cùm nihil impetrarent, imò & tanquam rabulæ atque mendici (*Gueusii*

Margareta Parmensis, Belgii Gubernatrix.

Granvellanus revocatur.

Compromissum inter Nobiles, de tuenda Libertate & Religione, an. *1566*.

Libellus supplex ab iis oblatus, sed sine fructu.

ver-

Unde ortum *Geusiorum* nomen.

vernaculâ linguâ) cum dedecore & contemptu repellerentur, Populi ea de caussa vehementer commoti sunt, adeò ut nihil non audere, Ecclesias diripere, Imagines frangere, multis in locis cernerentur.

Seditiones passim excitatæ.

Quibus malis violentum remedium, exasperandisque animis potiùs quàm leniendis idoneum, à Philippo adhibitum est. Missus cum copiis ex Hispania *Ferdinandus Dux Albanus*, qui cædibus ac suppliciis omnia implevit.

Ferdinandus Dux Albanus cum copiis in Belgium missus.

Certè *Hornanus* & *Egmondanus* Comites, ob defensa Patriæ jura, tanquam rei Majestatis capite mulctati; nec non & alii magno numero, constitutis eum in finem Judicibus duodecim, quos *Senatum sanguinis* dixêre.

Comites *Hornanus* & *Egmondanus* capite mulctati, an. 1568.

Denique tanto furore per omnes Belgii Provincias sæviebat Albanus, ut ipse jactare solitus esset, se quinque annorum, quibus Belgicæ præfuit, spatio, XVIII. hominum millia carnificis ministerio interemisse.

Albani crudelitas.

Quæ res effecit, ut plurimi, non ex plebe modò, sed & pri-

Multi patria cedunt.

primariæ dignitatis, patria cederent; interque alios *Gulielmus Nassavius*, Arausionensis Princeps, qui, ut sanguinis nobilitate, gestísque muneribus, ita & animo ingenti, præclaris virtutibus, gratiáque apud populares, plurimùm valebat. Hic, cùm aliquandiu in Germania egisset, cum collecto illic milite in Belgium redit, factúsque Fœderatis dux, *Hollandis* præsertim atque *Zelandis*, pro libertate & religione fortiter pugnat; Quod & in *Frisia* tentaverat jam, fecitque inposterùm, frater *Ludovicus*. Ergo, mira celeritate, Hispanico jugo se subducunt, aut Fœderatorum armis capiuntur, non Urbes modò, sed & Provinciæ: Quas ut recuperarent Hispani, pacificationem Gandavensem inire coacti sunt, an. 1576.; cujus art. 5. decreta omnia contra hæreses promulgata, & criminalia Albani edicta, eò usque suspendebantur, donec ab Ordinibus aliter statutum esset. Sed fractâ fide à *Johanne*

Gulielmus Nassavius Princeps Arausion. dux Fœderatorum.

Pacificatio Gandavensis an. 1576.

Johanne Austriaco, Belgii Gubernatore, Fœderati arma resumunt, & castella Hispanorum passim dejiciunt. Sic pugnatum vario marte, Fœderatis auxilia præbentibus, non Germaniæ modò Principibus benè multis, sed & ELIZABETHA Angliæ Regina, ipsóque etiam non semel Galliæ Rege; sed non unâ ipsorum rebus objectâ remorâ, cùm ob malè habitos in Gallia Protestantes, tum ex intestinis discordiis, quæ, ut in aliis, sic etiam in caussa Religionis, exercebantur. Hinc redeunt ad Hispani obsequium, & veterem Sacrorum formam, Walonicæ Provinciæ, *Artesia*, *Hannonia*, *Flandriæque* Civitates, *Insula*, *Duacum*, *Orchiæ*. Sed ex adverso Provinciæ quinque, *Geldria*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Frisia*, & *Ultrajectina*, solemni fœdere, Trajecti ad Rhenum, inter se copulantur, Januario mense anni 1579. Cui fœderi *Groningani* & *Transisalani* haud multò pòst accessêre. Et hactenus quidem, dum pro patria &

Non multò pòst abrumpitur.

Unio Ultrajectina an. 1579.

& libertate pugnaretur, Regio nomini interim parcitùm fuerat: Verùm hostiliter magis magísque contrà Belgas agente *Philippo*, ei tandem ab Ordinibus imperium abrogatum est. Et, quemadmodum antea *Matthiæ*, Imperatoris Rudolphi fratri, tunc etiam *Francisco Valesio*, fratri Regis Galliarum, delata Rectoris insignia sunt; sic tamen, ut omnia ex Ordinum nutu, & *Arausionensis*, Vicarii Generalis, consiliis administrarentur. At, cùm Valesius ad pleniorem sibíque propriam potestatem adspiraret, ea quæ sibi delata fuerat excidit; præcépsque in Galliam reversus haud multò pòst mortuus est.

Fœderati Philippi R. obsequio se subtrahunt, an. 1581.

Sic ergo nata, faustissimis auspiciis, præpotens illa Respublica, quæ *Fœderatorum Belgii Ordinum* dicitur; Quæ, ut vindicatâ atque adsertâ magno animo Libertate, ita & purioris professione Fidei (toleratis interim dissidentibus Sectis) etiamnum celebratur. Sed vix é cunis exierat, dùm tristissimum ac lethalem propè casum

Reipublicæ Fœderati Belgii natales.

Digitized by Google

casum experta est; *Gulielmo Nassavio*, Arausionensi Principe, ejus fundatore ac defensore, Delphis Batavis, scelerata *Balthazaris Gerardi* manu; glande trajecto; 10. Junii 1584. Una morientis ad Deum vox fuit, *Miserere Populi.* Eô mortuô, in *Mauritium* filium, septendecim annorum Juvenem, postmodùm verò fortissimum ducem, Hollandiæ & Zelandiæ præfectura delata est; cujus auspiciis continuatum; mirâ virtute atque prudentiâ, quanquàm per varios casus & rerum discrimina, bellum: Neque antè ab armis cessatum, quàm, pactis induciis, annô Sæculi sequentis IX. pro libera ac sui juris Republica ab Hispanis ipsis haberentur.

Gulielmus Princ. Arausf. occisus an. 1584.

Mauricius Prin. Arausionensis.

Induciæ inter Hispanos & Belgas an. 1609.

Digitized by Google

Summa Capita
SECTIONIS VIII.
De Concilio Tridentino.

Optatum, ab initio Reformationis, Concilium Generale. Pontifices à Concilio alieni, & quare. Conditiones *in Concilio requisitæ à* Protestantibus. Clementis VII. *artes ad vitandum Concilium. Indictum à* Paulo III. *Mantuæ, Vicentiæ, tandem Tridenti. Incipit* 13. *Decemb.* 1545. *Sessiones* xxv. *tribus intervallis. Desinit* 3. *Decemb.* 1563. *De quibus actum. Concilium Tridentinum Papæ mancipatum. Exitus Concilii Tridentini Ecclesiæ damnosissimus. Confirmatur à Pontifice. Professio Fidei à* Pio IV. *edita. Concilium Tridentinum ab Ecclesia Gallicana nunquam admissum. Scriptores historiæ Concilii Tridentini.*

Digitized by Google

tini. Paulus Sarpius. *Card.* Pallavicinus. *Acta à* Puteano *edita. Literæ* Vargas, *& aliorum.*

SECTIO VIII.

De CONCILIO TRIDENTINO.

SIc descriptis, uno tenore, filóque haud interrupto, emendatorum Sacrorum, per varias Europæ partes, primordiis, prætermittendum non est *Concilium Tridentinum*, cujus non ignobiles hoc in negotio partes fuerunt. Exoptata, jam inde ab initiis harum de Religione controversiarum, Concilii Generalis convocatio fuerat: quam quidem optimam componendorum dissidiorum rationem esse, Cæsar ipse & Imperii Ordines non semel statuetant. Sed Pontifices ab hoc proposito quammaximè abhorrebant, memores gestorum in novissimis Conciliis, *Constantiensi*, *Basileensi*, & *Pisano* utroque, *tantúmque de ampli-*

Optatum ab initio Reformationis, Concilium Generale.

Pontifices à Concilio alieni, & quare.

tudine & potestate sua detrahi existimantes, quantùm ex disciplinæ emendatione auctoritatis & ornamenti Ecclesiæ accederet, ut hîc *Thuani,* Pontificii quidem, sed sapientissimi & veracissimi Historici, verba usurpemus. Protestantes, habendo Concilio, sed libero atque legitimo, haudquaquam reluctabantur; quod videlicèt, non in Italia, sed in Germania haberetur; & in quo res, non ex Scholæ placitis, Legibúsque Pontificiis, sed ex solo Dei Verbo, judicarentur; cujus proinde definitionibus, si modò rectæ essent, subscriberent; sin minùs, iis haudquaquam adstringerentur. Verùm has leges, utut æquas & rationi ac pietati consentaneas, Papa respuebat; neque aliud offerebat Concilium, quàm quod sibi planè subditum mancipatúmque esset. Ergo, urgente Imperatore, se excusare *Clemens VII.* tergiversari, moras nectere: Quæ inter, mortuus est; onúsque convocandi Concilii *Paulo III.* successori reliquit.

Conditiones in Concilio requisitæ à Protestantibus.

Clementis VII. artes ad vitandum Concilium.

quit. Ab hoc indictum, primò Mantuæ, deinde Vicentiæ, tandémque, his repudiatis locis, Tridenti: Factúmque, post multas dilationes, initium 13. Decembris 1545. Habitæ in universum Sessiones XXV. tribus variis intervallis, à se mutuò non parùm disjunctis; Primum, annis 1546. & 47. sub *Paulo III.* Romano Pontifice; Alterum, annis 1551. & 52. sub *Julio III.* Tertium annis 1562. & 63. sub *Pio IV.* finísque 3. Decemb. impositus. Actum de multis, cùm Doctrinæ, tum Disciplinæ capitibus; Doctrinæ quidem, putà de *Scriptura & Traditionibus*, de *Peccato originis*, de *Justificatione*, de *Sacramentis*, *Baptismo*, *Eucharistia*, *Confirmatione*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctione*, *Ordine*, *Matrimonio*, de *Purgatorio*, *Invocatione Sanctorum*, *Reliquiis*, *Imaginibus*; Disciplinæ verò, velut de *sacris Concionibus*, & *Prælectionibus Theologicis*, de *Episcoporum residentia*, de *Beneficiis Ecclesiasticis*, eorúmque *pluralitate*, &c.

Indictum à *Paulo III.* Mantuæ, Vicentiæ, tandem Tridenti.

Incipit 13. Decemb. 1545.

Sessiones XXV. tribus intervallis.

Definit 3. Decemb. 1563.

De quibus actum.

 Sed

Digitized by Google

Sed ita actum de iis omnibus, ut errores potiùs confirmati quàm emendati fuerint, nec nisi levissima ac debilissima gravissimis Disciplinæ malis allata remedia. Neque mirum; cùm nulla Concilio libertas esset, omniáque ad Pontificis & Romanæ Curiæ nutum procederent: Unde, *Spiritum sanctum in sarcina Roma advehi*, non illepidè dictum est. Certè, nihil actum, nisi proponentibus Legatis, omniáque in privatis Congregationibus, sibi planè mancipatis, determinantibus, antequàm publicæ Sessiones haberentur. His accedebat, quòd Italis hominibus, Papæ gnatonibus atque mancipiis, maximam partem constaret Concilium, quorum & numerum pro lubitu augebat Papa: dum é contrario, res momentosissimæ, inexspectatis præcipuarum Gentium Theologis, expediebantur. Tum, si quis paulò audacior, adversùs recepta placita, aut Curiæ Romanæ voluntatem, sententiam diceret, convi-

Concilium Trid. Papæ mancipatum.

tiis

tiis onerabatur, & ad ſilentium adigebatur. His aliiſque hujuſmodi artibus, omnis à Concilio libertas, omne veri ſtudium abfuit: Quamobrem, quod ad emendandam Eccleſiam, ejúſque conſolidanda vulnera, initio quæſitum fuerat, contrà erroribus, ſuperſtitionibus, atque tyrannidi, ſigillum veluti impoſuit, plagáſque Eccleſiæ immedicabiles fecit: Et vice versâ, quod invito animo, nec ſine maxima ſollicitudine, conceſſerat Curia Romana, ne immodicæ ſuæ potentiæ obices ponerentur, id ipſum ad eam confirmandam atque augendam plurimùm contulit. Finitô Conciliô, ejus decreta datâ Bullâ confirmavit Papa; Fideíque profeſſionem, juxta mentem Concilii, nec non & Indicem Librorum prohibitorum, edidit. Verumtamen, ne apud omnes quidem Pontificios pari reverentia habitum eſt Concilium; ejúſque decreta, ſaltem quod ad res Diſciplinæ adtinet, ab Eccleſia Gallicana

Exitus Concilii Tridentini Eccleſiæ damnoſiſſimus.

Confirmatur à Pontifice.

Profeſſio fidei à *Pio IV.* edita.

Concilium Tridenr. ab Eccleſia Gallicana nunquam admiſſum.

Digitized by Google

Scriptores historiæ Concilii Tridentini. Paulus Sarpius.

nunquam admissa sunt. Historiam Tridentini Concilii, eâ sapientiâ, eâ libertate, eô sale atque acumine, scripsit *Paulus Sarpius* Venetus, sub nomine *Petri Soavis Polani*, ut dignè satis prædicari nequeat. Neque verò quidquam de ejus pretio delibavit confutatòr ejus, Cardinalis *Pallavicinus*; siquidem præcipua quæque confitetur, nec nisi levissima quædam errata arguit. Habentur & Actorum ad Concilium pertinentium Collectiones admodum notabiles; ea præsertim quam *Puteanus* edidit, an. 1654. Nec non & literæ *Franc. Vargas*, & *Petr. de Malvenda*, Theologorum Caroli V. in illo Concilio, ut & Card. *Sanctæ Crucis*, & Card. *Visconti*, omnes è tenebris nuper erutæ; quibus quæcunque, de Tridentinorum Patrum servitute, & Curiæ Romanæ artibus, scripserat Paulus Sarpius, luculenter confirmata sunt.

Card. Pallavicinus.

Acta à Puteano edita.

Literæ Vargas, &c.

Sum-

Summa Capita

SECTIONIS IX.

De *Imperatoribus* & *Papis*, post Concilium Tridentinum.

FERDINANDUS I. *Imp. moritur an.* 1564. *Quomodo se gesserit cum Protestantibus.* MAXIMILIANUS II. *succedit. Ejus character. Consultatio Cassandri.* RODOLPHUS II. *Imp. an.* 1576. *usque ad* 1612. Pius V. *Rom. Pont. contra* Elizabetham *Angliæ Reg. Bullam promulgat, & seditiones movet. Pius V. nuper Divis adscriptus.* Gregorius XIII. *P. Lanienæ Parisiensi adplaudit. Kalendarii emendatio an.* 1582. Sixtus V. *P. Ejus natalies & character. Navarræ Regi & Condæo anathema dicit; ut &* Henrico III. *Galliæ Regi. Parricidium Henrici III. à Sixto laudatum.* Grego-

rius XIV. *P. Acta ejus contra* Henricum IV. *Gall. R.* Clemens VIII. *P. Paparum ausa Galliam incendunt, & sicarios adversùs Henricum IV. armant. Joh. Castellus Henricum IV. ad os vulnerat, an.* 1594. *Henricus IV. Papæ reconciliatur. Vulgatæ Versionis editio Sixti V. Denuò emendata editur à Clemente VIII.*

SECTIO IX.

De IMPERATORIBUS *&* PAPIS, *post Concilium Tridentinum.*

POstquàm de Concilio Tridentino diximus, placet nonnulla de Imperatoribus & Papis, inde à Concilii illius exitu, adusque Sæculi finem, breviter hîc adnectere. Altero à fine Concilii anno, obiit FERDINANDUS Imp. qui pacem cum Protestantibus æquo satis animo coluit. Neque verò per ipsum steterat, quominùs rectiora Tridenti consilia

FERDINANDUS I. Imp. moritur an. 1564.

consilia caperentur, gravissimis interpositis expostulationibus atque postulatis, quæ apud *Goldastum* legi possunt; Unde & ipse, odia Romanorum Pontificum, præsertim *Pauli IV.* non semel expertus est. Quibus in consiliis imitatorem filium suum & successorem MAXIMILIANUM II. habuit, laudabili Principem ingenio, & cujus præclara, de vi conscientiis haud inferenda, dicta memorantur. A duobus illis Imperatoribus, *Georgii Cassandri*, Coloniensis Theologi præstantissimi, de controversiis horum temporum quæsita sententia est: quam ille, edita *Consultatione*, exhibuit, sapientissimam oppidò, & viro Christiano dignissimam; quâ, si non omnes, haud pauci tamen Pontificiæ Religionis abusus notabantur, consiliáque saluberrima de emendatione & pace suggerebantur. Maximilianum, an. 1576. immaturo ereptum fato, filius excepit RODOLPHUS II. placida indole, nec damnandis moribus, cujus

Quomodo se gesserit cum Protestantibus.

MAXIMILIANUS II. succedit.

Ejus character.

Consultatio Cassandri.

RODOLPHUS II. Imp. an. 1576. usque ad 1612.

jus vita ad duodecimum Sæculi sequentis annum producta est.

Biennio post Concilium, obiit itidem *Pius IV.* Pontifex, successorémque *Pium V.* habuit, qui antea *Michaël Gislerius* dicebatur. Is, ex decretis Tridentini Concilii, Catechismum confici curavit, qui *Catechismi Romani* nomine venit. Idem Pontifex, *Elizabetham* Angliæ reginam, ceu hæreticam, diris devovere, omníque in Regnum jure, quantùm in se fuit, spoliare ausus est. Nec modò publicatâ Bullâ, sed & ministerio *Roberti Ridolfi*, Patritii Florentini, (qui sub specie mercaturæ in Anglia agebat) Anglorum animos in Elizabethæ perniciem excitare non destitit, ingentibus etiam subministratis subsidiis, Hispanóque, ut rebellibus auxilia præberet, vehementer impulsô. Verùm res tota, Deo procurante, Elizabethæ diluxit, quæ Norfolcium aliósque é conjuratis morte adfecit. Pium illum, veriùs impium, utpote seditio-

Pius V. Rom. Pontifex.

Contra Elizabetham Angliæ Reg. Bullam promulgat. & seditiones movet.

Pius V. nuper Divis adscriptus.

ditionum incentorem, Romana Ecclesia haud ita pridem Divis adscripsit. Eum excepit an. 1572. *Gregorius XIII.* antea dictus *Hugo Buon-compagni*; qui, acceptô de laniena Parisiensi nuntiô, nulla non lætitiæ atque plausûs indicia dedit; cusóque Numismate, quô UGONOTTORUM STRAGES depingitur, atrocissimi facinoris memoriam servari voluit. Pontifex iste, operâ Astronomorum quorundam, speciatim *Aloysii Lilii*, Kalendarium Julianum, diebus jam decem abnorme, emendari curavit, an. 1582. Quæ emendatio à Pontificiis statim admissa est, sed non à Protestantibus, ne Romano Pontifici morem gerere viderentur: Verùm tamen, cùm res esset per se laudanda, eam postmodùm penè omnes admisêre. In Gregorii, an. 1685. exstincti, locum, successit *Sixtus V.* antea *Felix Montaltius* dictus, obscuro loco natus, & rustici in Marchia Anconitana filius, qui & porcos in pueritia duxisse fertur.

Gregorius XIII. P.

Lanienæ Parisiensi adplaudit.

Kalendarii emendatio an. 1582.

Sixtus V. P.

Ejus natales & character. fertur. Is magno animo, sed superbo admodùm atque severo, Pontificatum administravit: Borbonium utrumque, Navarræ Regem atque Condæum, tanquam hæreticos, & in hæresim relapsos, anathemate percussit, suísque ditionibus, ut & jure omni in Regni Franciæ successionem, dejectos pronuntiavit. Quinimò & in Henricum III. Galliæ Regem, licèt Pontificiis addictissimum sacris, fulmen vibrare, ejúsque subditos fidei sacramento exsolvere haud veritus est, eo quòd Guisios sibi insidiantes occidi curâsset, & adversùs Fœderatos (*seu Ligatos*) bellum gereret. Cujus fulminis ea vis fuit, ut nefario Monachi, *Jacobi Clementis*, cultro, miser ille Rex interimeretur, prout superiùs à nobis narratum est. Factum adprobavit, & in Cardinalium Consistorio publicè laudavit Sixtus; nec modò Eleazari & Judithæ facinoribus, sed & assumptæ à Domino carnis, & resurrectionis ejusdem mysteriis, immani

Navarræ Regi, & Condæo, anathema dicit;

ut & Henrico III. Galliæ R.

Parricidium Henrici III. à Sixto laudatum.

hi blaſphemia, æquiparare haud dubitavit. Sixti furorem imitatus eſt *Gregorius XIV.* miſſô ingenti ad Ligatos auxiliô, nec non & promulgatâ Bullâ, quâ Clerum & Nobiles, ne Henrico IV. parérent, ſub anathematis pœna vetabat. Paria & fecit *Clemens VIII.*, an. 1592. datâ Bullâ, quâ ad novi Regis electionem Gallos hortabatur. Quibus quidem Pontificum auſis, dici non poteſt quanti tumultus per Galliam excitati ſint, quantùm animata Ligatorum factio, armatíque adversùs Henricum Regem ſicarii, intérque alios *Joh. Caſtellus*, qui, cùm eum ad os vulnerâſſet, ſe zelo Religionis, hauſtíſque è Jeſuïtarum ſchola principiis, id deſignâſſe confeſſus eſt: Quâ de causâ, non ſumptum modò de reo ſupplicium, ſed & ejecti Regno Jeſuïtæ, Pyramíſque in rei deteſtationem erecta. Henricus, probroſum in modum, verberatis ejus Procuratoribus, Pontifici reconciliatur: Verùm, nec acceſſione

Gregorius XIV. P.

Acta ejus contra Henricum IV. Gall. R.

Clemens VIII. P.

Paparum auſa Galliam incendunt, & ſicarios adv. Henricum IV. armare.

Joh. Caſtellus Henricum IV. ad os vulnerat, an. 1594.

Henricus IV. Papæ reconciliatur.

Digitized by Google

ceſſione ad Sacra Pontificia, nec indignâ illâ ſubmiſſione, vitæ ſuæ ſecuritati conſulere potuit, quemadmodum ad Sæculum ſequens dicemus. Verſionem Vulgatam, ex Tridentinorum decreto emendatam, ut ſolam authenticam, ſolámque recipiendam, edidit Sixtus V. *perpetuò valiturâ*, ut ipſe aiebat, *Conſtitutione*, Kal. Mart. 1589. Sed eam tamen, plurimis iterùm repurgatam mendis, triennio pòſt emiſit Clemens VIII. ſolámque hanc editionem, miſsâ Sixtinâ, pro vera & authentica haberi juſſit; datâ *Bullâ* 9. Nov. 1592. Quæ quidem *Bullarum* pugna, cum non errandi privilegio, à Pontificibus adſumpto, quomodo concilietur, haud facilè perſpicimus.

Vulgatæ Verſionis editio Sixti V.

Denuò emendatur à Clemente VIII.

Summa

Summa Capita
SECTIONIS X.

De *Ordinibus Religiosis*, & *Jesuitarum* Societate.

Ordines Religiosi Sæculo XVI. instituti. Jesuitarum *ortus.* Ignatius Loyola. *Confirmatur Jesuitarum institutum à Paulo III. P. an.* 1540. Franciscus Xaverius *Apostolus Indorum dictus. Societatis Jesu incrementa & varia fata.*

SECTIO X.

De Ordinibus Religiosis, & Jesuitarum *Societate.*

ORdinum Religiosorum etsi infinitus jam in Ecclesia Romana numerus erat, non una tamen hac ætate accessio facta est; Ordines Religiosi Sæc. XVI. instituti.

Capucini putà, *Recollecti*, *Pœnitentes*, propagines Franciscanorum; *Theatini*, *Barnabitæ*, aliíque, quorum origines atque instituta ii demùm curiosè investigent atque describant, qui multùm pretii ipsis tribuunt. Sed omnibus palmam præripuit *Jesuitarum* Societas, auctore *Innigo* seu *Ignatio Loyola*, Hispano, qui cùm in juventute militiæ nomen dedisset, & in obsidione Pompeïopolitana alterum crus lapidis ictu amisisset, mox, paucis quibusdam adscitis sociis, intérque alios *Francisco Xaverio*, novo sodalitio, Romanæ Sedi addictissimo, & ad prædicandum Infidelibus Evangelium potissimùm comparato, ortum dedit: Quod à *Paulo III.* Pontifice, anno 1540., adprobatum & confirmatum, paucorum intervallo annorum in immensum numerum excrevit, & ad Indos usquè, quò Xaverius profectus est, sese extendit. Xaverio illi, dum Apostolum Indorum ageret, haud pauca adscribuntur Miracula:

Jesuitarum ortus.

Ignatius Loyola.

Confirmatur Jesuitarum institutum à Paulo III. P. an. 1540.

Franc. Xaverius Apostolus Indorum dictus.

Sed

Sed ea fabulis accensenda esse, cùm ex Xaverii ipsius, in Epistolis, silentio, tum ex aliis testimoniis, constare potest. Quin Viros doctissimos & meritissimos protulerit hic Ordo, in dubium vocari nequit: Sed, ob potentiam, & artes politicas, plurimis exosus; multisque statim è locis pulsus, omnia tamen vicit obstacula, & incredibilem, in regionibus omnibus Ecclesiæ Romanæ addictis, auctoritatem comparavit. Societatis Jesu incrementa & varia fata.

Summa Capita

SECTIONIS XI.

De Prædestinatione *&* Gratia *discrepantes sententiæ.*

De Gratia *&* Prædestinatione *discrepantes in Ecclesia Romana sententiæ.* Scotistæ. Thomistæ. *Qua arte Tridentina Decreta hanc in materiam concinnata sint.* Dominicus

Soto, & Andreas Vega; *decreta illa in contrarias partes trahunt*. Michaëlis Baïi, *Theol. Lovan. Propositiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ*. Jesuitæ, *initio, D. Thomæ Theologiam secuti. Iidem ad contraria placita deflectunt*. Lud. Molinæ *Liber de* Concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii. *Censuræ adversùs Jesuitarum doctrinam, an.* 1587. & 88. *Congregatio* de Auxiliis *instituta an.* 1598. *Reformatores D. Augustini placita sequuntur*. Lutheri *liber de* Servo Arbitrio. *Quidam* Supralapsarii. *Mitiora* Melanchtonis & Bullingeri *principia. Judicium de his controversiis.*

SECTIO XI.

De Prædestinatione & Gratia *discrepantes sententiæ.*

De Gratia & Prædestinatione

DIversæ fuerunt, in ipso Ecclesiæ Romanæ sinu, intérque ipsos

ipſos Tridentini Concilii Patres, de non uno dogmate ſententiæ; ſed ob agnitam ab utraque parte Romanæ Sedis auctoritatem, nulli ſciſſuræ anſam præbuerunt. Cujus quidem rei exemplum notabile, ſpeciminis loco, adducere juvat. De *Gratia* & *Prædeſtinatione*, aliter ſentiebant *Scotiſtæ*, ſeu Franciſcani, qui ad Pelagiana vel Semipelagiana dogmata propendere videbantur; aliter *Thomiſtæ*, ſeu Dominicani, qui in D. *Auguſtini* & D. *Thomæ* ſententiam jurabant. Quæ cauſſa fuit, cur, in cudendis hoc de argumento Tridentini Concilii decretis, diu multúmque laboratum ſit. Hinc ſcilicèt animus erat, *Lutheri*, *Calvini*, *Zuinglii*, de Prædeſtinatione & Gratia efficaci, placita damnare. Sed & illinc certum ipſis erat, D. *Auguſtini*, D. *Thomæ*, adeóque Dominicanorum, hypotheſes non rejicere. Res ardua; cùm una fermè eadémque eſſet, ad ſummam rei quod attinet, utrorumque ſententia.

discrepantes in Eccl. Rom. ſententiæ.

Scotiſtæ & *Thomiſtæ*.

Qua arte Tridentina Decreta hanc in

macerrima concinnata sint. Ergo tanta arte concinnata decreta, ut Reformatores quidem ferire, sed neutri Romanensium parti adversari viderentur. Quod quidem eo successu factum est, ut duo Concilii Doctores, *Dominicus Soto*, & *Andreas Vega*, editis, haud multò post Concilii decreta, libris, ea diversissimo modo exponere, imò & in contrarias partes trahere haud vererentur. Patet nihilominùs, Tridentinos plus libero arbitrio dedisse, quàm ab Augustino & Thomistis fieri soleat. Utut sit, utrique Systemati, & fautores, & censores, in Ecclesia Romana plurimi fuerunt. Damnatæ à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* Pontificibus, nonnullæ *Michaëlis Baii*, Theologi Lovaniensis propositiones, quæ tamen vix aliud quàm ipsissima Augustini sententia erant, hæc v. g. ordine 28. *Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valere.* *Jesuitæ*, primis institutionis suæ temporibus, an. 1550. D. Thomæ Theo-

Domin. Soto & Andr. Vega, Decreta illa in contrarias partes trahunt.

Mich. Baii, Theol. Lovan Propositiones à Pio V. & Greg. XIII. damnatæ.

Jesuitæ, initio, D. Thomæ

Digitized by Google

Theologiam suis tradi voluerant. Postmodùm, an. 1559. ut aliud quoddam Systema, *temporibus accommodatius*, posset eligi, data ab ipsis libertas est. Qua quidem usi libertate Societatis illius Doctores, *Prudentius de Monte-majore*, *Gregorius de Valentia*, *Leonardus Lessius*, omnium verò maximè *Ludovicus Molina*, Euoracensis in Lusitania Theologus, scripto de *Concordia Gratiae & Liberi Arbitrii* libro, missâ Thomistarum Theologiâ, diversam planè secuti sunt; & *Gratias sufficientes* omnibus concessas, quae, pro vario libertatis usu, varios effectus edant, *Scientiâmque* Dei *mediam*, de rebus sub conditione futuris, statuerunt. Quas hypotheses, Universitas *Lovaniensis*, nec non & *Duacensis*, postmodùm & *Salmanticensis*, aliaeque, suis subinde censuris notavêre. Atque hinc tanta Dominicanorum cum Jesuitis dissidia; Quae cùm acriora indies fierent, *Congregationi de Auxiliis*, à Clemente VIII. an. 1598. insti-

Theologiam secuti.

Iidem ad contraria principia deflectunt.

Lud. Molinae liber de Concordia Grat. & Lib. Arb.

Censurae adv. Jesuitarum doctrinam, & 1587. & 1588.

Congregatio *de Auxiliis*, instituta an. 1598.

instituta, locum dederunt, de qua ad Sæculum sequens dicetur.

Reformatores D. Augustini placita sequuntur.

Reformatores nostri, ut verbum etiam de iis addamus, D. *Augustini*, de Gratia & Prædestinatione, sententiam, penè omnes sequebantur; quam & crudiùs nonnunquam tradebant, ut ex *Lutheri de Servo Arbitrio*, multisque *Zuinglii* & *Calvini* locis, constare potest.

Lutheri Liber de Servo Arbitrio.

Quin & fuerunt, qui ad rigidissima *Supralapsariorum* placita (quibus Electio & Reprobatio, in Decretis divinis, supra hominis lapsum statuuntur) procedere haud dubitarent, ut *Beza* & *Zanchius*.

Quidam Supralapsarii.

Ad mitiora deflexit *Melanchthon*, duo extrema vitanda monens, hinc Pelagianismum & Semipelagianismum, illinc Manichæismum, seu fatum Stoïcum. *Bullingerus*, μελαγχθονίζειν, nec sine causa, ferebatur. Melanchthonem Lutherani deinceps, Calvinum Reformati, sed non tamen omnes, secuti sunt.

Mitiora Melanchthonis & Bullingeri principia.

Pio omnes animo, ut quidem censemus; nec satis caussæ, cur

Judicium de his Controversiis.

çur fraternitas inter utrosque abrumpatur, quòd, de abditissimis Dei consiliis, humanum captum superantibus, non eadem omnes sentiant.

Summa Capita
SECTIONIS XII.

De Bello Rusticorum, *&* Anabaptistarum Monasteriensium *tragœdia.*

Bellum Rusticorum, an. 1524. *&* 1525. Thomas Munzerus, Phiferus, *&c. Lutherus contra Munzerum & Rusticos scribit. Germaniæ Principes contra Rusticos bellum gerunt; eósque variis in locis vincunt. Munzerus captus, & capite mulctatus. De* Anabaptistarum Monasteriensium *tragœdia, an,* 1534. *&* 1535. *Anabaptistarum origo & placita. Tumultus ab iis per Germaniam, Helvetiam, & Belgium, excitati.*

Lutherus, Zuinglius, Melanchton, contra eos scribunt. Monasterium *veniunt, exeunte an.* 1533. *Eorum capita,* Johannes Matthæus, Johannes Leidensis, Bern. Rotmannus, Bern. Knipperdoling, *&c. Urbe expulsi redeunt, & superiores fiunt. Pugna inter Anabaptistas & cæteros Cives. Anabaptistarum furor. Urbs Monasterium ab Episcopo obsessa. Bonorum communitas inter Anabaptistas instituta. Libros omnes, exceptis Bibliis, incendunt.* Joh. Matthæus *eorum Propheta occiditur. Polygamia instituta.* XII. *viris rerum summa defertur.* Joh. Leidensis *Rex salutatur. Discipulos 28. in alia oppida mittit. Quæstio de illis habita. Libri Anabaptistarum. Refelluntur à Landgravio, Luthero, &c. Regina, quòd populi vicem miserata esset, capite plectitur. Urbs capitur, 28. Mai.* 1535. *Regis audax ad Episcopum responsio. Regis & sociorum supplicium. Conspirationes Anabaptista-*

Digitized by Google

tistarum adversùs Amstelodamum & alias Urbes. Anabaptistæ tota Europa malè habiti, & ad supplicia rapti. Multi Anabaptistæ placidi & innocui. Unde dicti Mennonitæ.

SECTIO XII.

De Bello *Rusticorum*, & *Anabaptistarum Monasteriensium* tragœdia.

RENascentis Evangelii pulchritudinem non parùm obscurârunt bella *Rusticorum*, & furores *Anabaptistici*, quibus, sub initia Reformationis, haud exigua Germaniæ pars turbata est: quanquam eorum, non veram caussam, sed merum obtentum, Religionem fuisse, abundè patuit. Nam Rustici non semel jam antea adversùs Nobiles & Magistratus insurrexerant, propter onera quibus se nimiùm gravari querebantur: Verùm nunquam tantâ petulantiâ, tantâque ferociâ, quanta visa est annis 1524. & 1525. per Sue-

Bellum Rusticorum an. 1524. & 1525.

Sueviam, Thuringiam, Lotharingiam, aliásque partes Germaniæ. Quibusdam in locis, res transactione utcumque composita est: At non multò pòst recruduit vulnus, & tota propemodùm Germania sese diffudit. Et horum quidem tumultuum instigatores ac fomites erant turbulenti quidam Concionatores, præcipuè *Thomas Munzerus*, *Phiferus*, aliique, qui Evangelicam libertatem in seditionis & anarchiæ obtentum trahebant, bonorúmque communionem, & conditionum æqualitatem, sublatis Principibus & Magistratibus, stabilire nitebantur. Ab his persuasi Plebeïi homines, ingenti numero arma arripiunt; & Castellorum direptione atque incendiis, agrorum atque Urbium vastatione, Nobiliúmque cædibus, passim grassantur. Quos ut ab errore & flagitiis illis retraheret, non uno libro, sed incassùm, tentavit Lutherus. Ergo, ut hac peste sese liberent Germaniæ Principes, cùm Protestantes, tum

Thomas Munzerus, Phiferus, &c.

Lutherus contra Munzerum & rusticos scribit.

tum Pontificii, primùm quidem Sueviei fœderis socii, *Georgio Truccesio Walpurgo* duce, deinde & Elector Saxoniæ *Johannes*, ejúsque patruelis *Georgius*, & Landgravius Hassiæ *Philippus*, & *Henricus* dux Brunsvicensis, ingentes conscribere exercitus, & in aciem non semel prodire, necesse habent. A quibus fusi, non uno loco, nec uno tempore, Rusticorum exercitus; eorúmque ad minimum quinquaginta millia cæsa. Munzerus, qui inanibus illos deluserat victoriæ promissis, vocatâ etiam in testimonium, quæ tum apparuerat, iride, post pugnam ad Francusium captus, 15. Mai. 1525. capitéque mulctatus est.

Germaniæ Principes contra Rusticos bellum gerunt;

eósque variis in locis, vincunt.

Munzerus captus & capite mulctatus.

Primam hanc tragœdiam altera excepit, annis 1534. & 1535. Monasterii, quæ est primaria Westphaliæ Civitas, à furiosis quibusdam *Anabaptistis* excitata: Quæ quidem historia vel eo nomine memoranda est, ut pateat, quantùm fanatismo infecta Religio, ementitæque revelatio-

De *Anabaptistarum Monasteriensium* tragœdia, an. 1534. & 1535.

lationes, suadere malorum possint. Fuerant, ut sæpe jam antea, ita & primis Reformationis temporibus, qui parvulorum baptismum damnarent, suósque novo baptismo tingerent; unde & *Anabaptistarum* nomen sortiti sunt. Iidem sanctimoniam quandam externam præ se ferebant; docebant, non licere Christianis in foro contendere, non gerere Magistratum, non jusjurandum dicere. Nec defuerunt etiam ex ipsis, qui bonorum proprietatem culparent, omniáque inter Christianos communia esse debere contenderent. Et hæc quidem illi principio; Sed multò deinde graviora opinionum portenta, à plurimis non concepta modò, sed & in vulgus edita sunt, quemadmodum jamjam dicemus. Quæ res incredibiles tumultus, tota passim Germania, Helvetia, Belgióque excitavit; Fanaticis illis (etenim plerique se à Deo adflatos dicebant) suam doctrinam suáque somnia longè latéque disseminantibus;

Anabaptistarum origo & placita.

Tumultus ab iis, per Germaniam, Helvetiam, & Belgium, excitati.

exci-

Digitized by Google

excitatis verò adversùs eos Magistratibus, qui ipsos edictis severissimis ac suppliciis coërcebant; dum eos interim, *Lutherus*, *Zuinglius*, *Melanchton*, aliíque Viri docti, cùm scriptis, tum viva voce, ad saniorem mentem reducere conarentur. Neque verò alia ex schola prodierat *Thomas Munzerus*, de quo suprà dictum est; quemadmodum & *Nicolaus Storkius*, *Melchior Hofmannus*, *Johannes Matthæus*, *David Georgius*, aliíque longè plurimi, quos recensere longum nimis esset.

Lutherus, Zuinglius, Melanchton, contra eos scribunt.

Cùm igitur eo hominum genere abundaret Germania, quidam *Monasterium* venerunt, sub finem anni 1533. postquàm ea Urbs, operâ *Bernardi Rotmanni*, diligentis Concionatoris, puriori fide imbuta esset. Capita eorum erant, *Johannes Matthæus* seu *Matthison*, Harlemensis pistor, *Johannes Bucoldus*, vel *Bokelson*, sartor Leidensis, *Jacobus Campensis*, *Johannes van Geelen*, aliíque: Quibus & se adjunxêre *Bernardus* *Rot-*

Monasterium veniunt, exeunte an. 1533.

Johannes Matthæus. Johannes Leidensis, Bern. Rotmannus, Bern. Knipperdoling, &c.

Rotmannus, Ecclesiæ illius fundatori, qui se seduci ab iis passus est, & *Bernardus Knipperdolingus.* Et hi quidem veneno suo sic totam Urbem implevêre, ut brevi ad multa hominum millia adcrescerent, nec multò pòst cæteris civibus superiores essent. Magistratus semel atque iterum eos Urbe excedere jubet: Verùm ejecti statim redeunt. Provocantur ad disputandum, missis ab Hassiæ Landgravio Doctoribus, qui eos refellerent: Sed oblatas conditiones respuunt, viámque magis compendiosam suis promovendis rebus eligunt. Scilicèt, ex ipsis quidam, velut Numine adflatus, per Urbem discurrens, *Pœnitentiam agite*, clamabat, *& rebaptizemini; sin minùs, ira Dei vos obruet.* Quo factum, ut multi, simplicitate circumventi, morem gererent; alii, quòd sibi metuerent, non auderent obsistere; adversarios quippe furiosi illi malè mulctabant, & possessionibus dejiciebant. Ergo gravissimus, ipsos

Urbe expulsi redeunt, & superiores fiunt.

ipsos inter, ceterósque cives, oritur tumultus, & ad arma utrinque concurritur: Quæ tamen pugna pacificatione utcúmque composita est. Sed Anabaptistæ, ut validiores deinceps essent, cœptúmque perficerent, missis literis, sui generis homines ex oppidis vicinis accersunt; quorum adventu audaciores facti, nullum ampliùs modum servant, & ad extrema omnia feruntur. Senatum abrogant, novúmque eligunt, qui totus suæ factionis esset; intérque alios, Consulem creant *Knipperdolingum*. Templa invadunt atque incendunt. Armati per Urbem discurrunt; & quicumque suarum partium non essent, partim confodiunt, partim Urbe ejiciunt, eorúmque bona occupant. Acta hæc anno 1534. quo tempore Episcopus Urbi iratus, ob admissam Reformationem, eam obsidione cingebat; civésque de Religione rectè sentientes, qui Anabaptistarum furori se subducebant, hostium loco comprehendebat, & malè mulctabat.

Pugna inter Anabaptistas, & cæteros Cives.

Anabaptistarum furor.

Urbs Monasterium ab Episcopo obsessa.

tabat. Interim *Johannes Mattheus*, qui primi ordinis Propheta inter Anabaptistas habebatur, mandavit, ut quod quisque haberet auri, argenti, rei mobilis, id omne deferret in medium, capitis pœnâ renuentibus propositâ: Qua Edicti severitate populus adtonitus, obtemperare cogebatur. Mox idem Propheta edicit, ne quis ullum librum, exceptis Bibliis, servet, cæteri omnes afferantur, flammísque absumantur; quod & factum est. Cùm verò, paucis pòst diebus, Vates ille per Urbem discurreret, *Deum Patrem sibi in mandatis dedisse clamans*, ut hostem ab Urbe expelleret, à milite quodam quem offendit confossus est. Proximus ab eo Vates, *Johannes Leidensis*, superioribus ausis cumulum addit. Templa quæ supererant dirui jubet; Polygamiam, tanquam Deo jubente, licitam declarat; Ipséque exemplum daturus, ternas statim ducit uxores, quarum una Johannis Matthæi, defuncti

Bonorum communitas inter eos instituta.

Libros omnes, exceptis Bibliis, incendunt.

Joh. Matthæus eorum Propheta occiditur.

Polygamia instituta.

Digitized by Google

functi nuper Prophetæ, uxor fuerat. Idem Johannes, duodecim Viris à se designatis summam rerum defert, non alio fine quàm ut, per eos homines, viam sibi ad Regnum faceret. Neque verò id effectu caruit; Novus quippe exortus Propheta, convocatâ in forum multitudine, edicit, hanc esse Patris cœlestis voluntatem, ut *Johannes Leidensis* imperium Orbis obtineat, &, validissimis adjutus copiis, Reges omnes ac Principes interficiat, nec nisi multitudini justitiam colenti parcat; sic profligatis impiis, pios in hac vita regnaturos. Vaticinio paret Johannes, Regísque nomen & insignia assumit, abrogatis XII. viris qui à se creati fuerant. Sic arreptum summâ impudentiâ Regnum, pari audaciâ & scelere administravit. Misit quinetiam in oppida vicina Discipulos XXVIII. qui doctrinam suam Regnúmque disseminarent: Sed capti illi, suppliciόque adfecti sunt. Quæstione habitâ de ipsorum fide,

XII. Viris rerum summa defertur.

Johannes Leidensis Rex salutatur.

Discipulos 28. in alia oppida mittit.

Digitized by Google

tabat. Interim *Johannes Matthæus*, qui primi ordinis Propheta inter Anabaptiſtas habebatur, mandavit, ut quod quiſque haberet auri, argenti, rei mobilis, id omne deferret in medium, capitis pœnâ renuentibus propoſitâ: Qua Edicti ſeveritate populus adtonitus, obtemperare cogebatur. Mox idem Propheta edicit, ne quis ullum librum, exceptis Bibliis, ſervet, cæteri omnes afferantur, flammíſque abſumantur; quod & factum eſt. Cùm verò, paucis pòſt diebus, Vates *ille* per *Urbem* diſcurreret, *Deum Patrem* ſibi in *mandatis* dediſſe clamans, ut hoſtem ab Urbe expelleret, à milite quodam quem offendit confoſſus eſt. Proximus ab eo Vates, *Johannes Leidenſis*, ſuperioribus auſis cumulum addit. Templa quæ ſupererant dirui jubet; Polygamiam, tanquam Deo jubente, licitam declarat; Ipſéque exemplum daturus, ternas ſtatim ducit uxores, quarum una Johannis Matthæi, defuncti

Bonorum communitas inter eos inſtituta.

Libros omnes, exceptis Bibliis, incendunt.

Joh. Matthæus eorum Propheta occiditur.

Polygamia inſtituta.

Digitized by Google

functi nuper Prophetæ, uxor fuerat. Idem Johannes, duodecim Viris à se designatis summam rerum defert, non alio fine quàm ut, per eos homines, viam sibi ad Regnum faceret. Neque verò id effectu caruit; Novus quippe exortus Propheta, convocatâ in forum multitudine, edicit, hanc esse Patris cœlestis voluntatem, ut *Johannes Leidensis* imperium Orbis obtineat, &, validissimis adjutus copiis, Reges omnes ac Principes interficiat, nec nisi multitudini justitiam colenti parcat; sic profligatis impiis, pios in hac vita regnaturos. Vaticinio paret Johannes, Regísque nomen & insignia assumit, abrogatis XII. viris qui à se creati fuerant. Sic arreptum summâ impudentiâ Regnum, pari audaciâ & scelere administravit. Misit quinetiam in oppida vicina Discipulos XXVIII. qui doctrinam suam Regnúmque disseminarent: Sed capti illi, supplicióque adfecti sunt. Quæstione habitâ de ipsorum fide,

XII. Viris rerum summa defertur.

Johannes Leidensis Rex salutatur.

Discipulos 28. in alia oppida mittit.

 dixe-

Digitized by Google

Quæstio de illis habita.

dixerunt, »quatuor Prophetas esse; »duos justos, *Davidem Georgium*, »& *Johannem Leidensem*; duos injus»tos, *Pontificem* & *Lutherum*, sed »hunc illo deteriorem. Interrogati, »cur homines innocentes præter fi»dem datam ex Urbe profligâssent, »eorúmque bona & uxores occupâs»sent, responderunt, tempus illud »adesse, quo fore Christus dixerit, ut »mites terram possideant; sic Ægyp»tiorum bona Deum Israëlitis olim »dedisse. Postea, de statu Civitatis »locuti, plerosque dicunt supra quin»que uxores habere; exspectari co»pias é Frisia atque Hollandia; si»mul atque advenerint, proditurum »cum omni exereitu Regem, ut »Mundum sibi subjiciat; Regésque »omnes, ob non administratam justi»tiam, interfecturum.» Pleniùs sua hæc nefaria dogmata exposuerunt Monasterienses, tum literis ad Hassiæ Landgravium datis, tum libro non uno, putà libro *de Restitutione*, alteróque de *Scripturæ mysteriis*; qui-

Libri Anabaptistarum.

bus

Digitized by Google

»bus totum Mundi tempus tres in »partes diſtribuebant ; & primum »quidem Mundum, ab Adamo uſ»que ad Noam, inundatione peri»iſſe; alterum, in quo nos verſa»mur, igne periturum; tertium pla»nè novum futurum, quô pii & »electi cum Chriſto in terris reg»nent, impiis omnibus paſſim dele»tis atque oppreſſis. Docebant quin»etiam, licere populis Magiſtratus »abrogare ; Et quanquam Apoſto»li nullum uſurpandæ juriſdictionis »mandatum accepiſſent, tamen eos »qui nunc ſunt Eccleſiæ miniſtros »jus gladii ſibi ſumere debere, no»vúmque imperium conſtituere.» Hæc aliáque factioſa ipſorum principia, cùm Landgravius datis ad eos literis, tum Lutherus aliíque Doctores, vividè, prout decebat, confutârunt. Interea Monaſterienſis Epiſcopus, aliorum Principum adjutus copiis, Urbis obſidionem ſtrenuè urgebat; quæ cùm fame rerúmque omnium inopia premeretur,

Refelluntur à Landgravio, Luthero, &c.

Digitized by Google

Regina, quòd populi vicem miserata esset, capite plectitur.

una ex Regis uxoribus, populi vicem miserata; dixisse fertur, non putare se Dei voluntatem esse, ut homines ad hunc modum inedia consumantur. Quô auditô, Rex eam in forum producit, unà cum cæteris uxoribus, & in genua procumbere jussam capite plectit, mortuámque scorti instar ignominia notat; mox chorum ducit, adstantésque omnes ad saltandum invitat. Porrò ingravescente indies annonâ, rebúsque in eum deductis statum, ut fame multi quotidie occumberent, multi aliò se recipere exanimes quasi cogerentur, belli duces monebant oppidanos, ut se dederent; quod quanquam optabant ipsi, severitate tamen Regis & vigilantia nihil audebant. Tandem, in extremum adductis rebus, profugi duo Urbem produnt, 28. Mai. an. 1535. Rex & Knipperdolingus capiuntur. Rotmannus, ne vivus in hostium manus incurrat, in hostiles copias se conjicit, atque confoditur. Rex ab

Urbs capitur 28. Mai. 1535.

Digitized by Google

ab Episcopo interrogatus, qua fretus auctoritate tantam sibi licentiam arrogâsset, Episcopum vicissim rogat, quis ipsi jus & imperium in eam Civitatem dedisset: Cúmque responderet Episcopus, de Collegii Populíque voluntate id sibi juris obvenisse, regerit ille, se divinitùs in eam stationem vocatum esse. Post aliquot menses, 23. Januarii anni sequentis, atrox de Rege sumptum supplicium; membra, per horam atque ampliùs, forcipibus ignitis lacerata, usquedùm trajecto in pectus mucrone decesserit: quo & supplicio Regis socii adfecti sunt. Dum verò hæc Monasterii agerentur, tentatæ etiam ab ejusdem factionis hominibus, per Belgium & Germaniam, Urbes non paucæ; omnium verò maximè *Amstelodamum*, ad quod capiendum non una inita conspiratio, missis eò à Monasteriensi Rege, *Johanne van Geelen*, & *Jacobo van Campen*, quem postremum Amstelodamensem Episcopum creaverat.

Regis audax ad Episcopum responsio.

Regis & sociorum supplicium.

Conspirationes Anabaptist. adversùs Amstelodamum & alias Urbes.

verat. Verùm repressa hæc à Magistratibus, déque reis sumptum supplicium. Quæ omnia in caussa fuerunt, cur in hujus furfuris homines, huc atque illuc dispersos, imò & in multos Anabaptistas nullius reos factionis, severè animadversum *sit*. Agnoscendum quippe, eorum non paucos, qui in capitibus de Baptismo, & Juramento, aliisque nonnullis, à reliquis Protestantibus discrepabant, homines placidos & innoxios fuisse, qui à Monasteriensium furoribus planè alieni *essent*. Et hi quidem, à *Mennone Simonis*, Presbytero *Frisio*, qui circa annum 1536. ad eos accessit, *Mennonitæ* adpellati sunt: eorúmque propagines, in Germania præsertim & Belgio, ingenti numero ad hunc usque diem cernuntur.

Anabaptistæ tota Europa malè habiti, & ad supplicia rapti.

Multi Anabaptistæ placidi & innocui.

Unde dicti Mennonitæ.

Sum-

Summa Capita
SECTIONIS XIII.
De dissidio inter Lutheranos *&* Reformatos.

Origo dissidii Sacramentarii inter Protestantes. Andreas Carolostadius *quis fuerit. Quomodo verba Eucharistica exponeret.* Lutherus *Carolostadium ad bellum Sacramentarium provocat. Sententia Carolostadii à paucis admissa, & ab ipso etiam deserta.* Zuinglius *&* Oecolampadius *verba Eucharistica figuratè intelligunt. Scripti utrò citróque libri.* Bucerus, *& Ecclesia Argentinensis, pacis consilia suggerunt, sed frustrà. Colloquium Marpurgense an.* 1529. *Principes & Civitates utriusque sententiæ à se mutuò non discedunt.* Bucerus *&* Melanchton *pacifici. Concordia*

Wittembergica, *an.* 1536. *Amicæ inter Lutherum & Helvetios epistolæ. Lis renovatur*, *an.* 1539. & 1543. *Insignia* Calvini *verba de Luthero. Lutherus*, *ante mortem*, *moderatior factus. Mortuô Lutherô*, *diffidia continuata*, *imò & aucta. Ubiquitatis dogma à Lutheranis quibusdam productum. Hinc nata secunda Controversia*, *de Persona Christi*, *& communicatione idiomatum. Tertia Controversia*, *de Prædestinatione*, *quando cœperit. Dissidia quædam inter ipsos Lutheranos. De variata & invariata Confessione Augustana. Liber Concordiæ Bergensis*, *an.* 1580. *Reformatis gravis*, *& à Lutheranis plurimis rejectus. Consensus Sendomiriensis*, *an.* 1570. *aliique*, *in Polonia & Bohemia. Colloquium Mulbrunnense*, *an.* 1564. *Montpelgartense*, *an.* 1586.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO XIII.

De dissidio inter LUTHERANOS *&* REFORMATOS.

NEque parùm etiam Protestantium rebus nocuit dissidium Sacramentarium, primùm inter *Lutherum* & *Carolostadium*, deinde inter *Lutherum* & *Zuinglium*, eorúmque discipulos, magno æstu agitatum: Cujus origines atque progressus, nec non & tentatæ non semel concordiæ rationes, breviter hîc exponere juvat. Erat *Andreas Bodenstein*, à patria *Carolostadius* vulgò adpellatus, unus ex Lutheri Collegis in Ministerio Wittembergensi, ejúsque olim ad Doctoratum Theologicum promotor. Is à sententia Lutheri, de corporis Christi, unà cum pane, in Eucharisticis Sacris præsentia, recedens, exponebat verba Eucharistica, *Hoc est corpus meum*, non de eo quod manibus gestabat Christus,

Origo dissidii Sacramentarii inter Protestantes.

Andreas Carolostadius quis fuerit.

Quomodo verba Eucharistica exponeret.

Digitized by Google

Christus, sed de ipsomet Christi corpore, visibili ac vivente, quod digito monstraverit. Quam ob sententiam, ut & propter alia nonnulla, Luthero invisus factus, Witteberga secessit, & Orlamundam se recepit. Eum Lutherus aliquanto pòst, cùm Jenæ offendisset, deprompto é pera aureô, ad bellum Sacramentarium provocavit, séque promptum antagonistam obtulit Carolostadius. Sed cùm sententia Carolostadii defendi vix posset, Sectatores habuit perpaucos, & ab ipso etiam auctore, in Helvetiam profecto, postmodùm deserta est. Aliam hypothesim longè aptiorem iisdem temporibus protulerunt duo Helvetiæ Reformatores, *Zuinglius* & *Oecolampadius*, verbis Eucharisticis, non secundùm literam, sed figuratè expositis: Qua de re graves ipsis cum Luthero, ejusdémque sequacibus, disputationes intercessêre. Zuinglius quidem, scriptâ ad *Matthæum Alberum*, Pastorem Reutlingensem epistolâ,

Lutherus Carolostadium ad bellum Sacramentarium provocat.

Sententia Carolostadii à paucis admissa, & ab ipso etiam deserta.

Zuinglius & *Oecolampadius*, verba Eucharistica figuratè intelligunt.

Scripti ultrò citróque Libri.

stolâ, deinde & *Commentario de vera & falsa Religione*, eidémque adjuncto *Subsidio*, sententiam suam de Eucharistia, & spirituali Christi manducatione, exposuit; Quae, tum à Luthero, non uno in libro, tum à *Joh. Pomerano*, aliisque, confutata est. Oecolampadius etiam, *de genuina expositione verborum, Hoc est Corpus meum*, libellum scripsit: Quem Suevici Pastores XIV. auctore, ut creditur, *Joh. Brentio*, confutârunt, scriptô hanc in rem *Syngrammate*; cui vicissim *Antisyngramma* opposuit Oecolampadius. His aliisque ejusmodi Scriptis, dum inter se Magni illi Viri disceptarent, non defuerunt homines pacifici, qui litem componere niterentur: qualis fuit prae caeteris *Martinus Bucerus*, Argentoratensis Ecclesiae Pastor, ipsáque illa Ecclesia, quae, missô Wittebergam *Chaseliô*, periculum ex Schismate oriturum Luthero exposuit, eíque consilia pacis suggessit. Sed Lutherus non alia lege pacem inire voluit,

Bucerus & Ecclesia Argentinensis pacis consilia suggerunt.

sed frustrà.

voluit, nisi mutatâ à Zuinglio & Oecolampadio sententiâ: Quocirca pluribus & acerbioribus Scriptis quotidie certatum est. Cui componendo dissidio, *Philippus* Hassiæ Landgravius Marpurgense Colloquium instituit an. 1529. Interfuêre, ab una parte, *Lutherus* ipse atque *Melanchthon*, *Justus Jonas*, *Brentius*, *Agricola*; ab altera, *Zuinglius*, *Oecolampadius*, *Bucerus*, *Hedio*; inter quos, de omnibus doctrinæ capitibus, solâ exceptâ quæstione Eucharisticâ, conventum est; sed &, nil obstante dissensu illo, *mutuam* sibi *caritatem* spopondêre. Neque verò Principes & Civitates, qui adversus Spirense decretum protestati sunt, indéque acceperunt *Protestantium* nomen, ob Eucharisticum illud dissidium à se mutuò discessêre; sed communi studiô atque operâ, in omnibus Imperii Conventibus, caussam communem tutati sunt. Sed tamen, ut arctior esset concordia, Scriptorúmque eristicorum utrin-

Colloquium Marpurgense an. 1529.

Principes & Civitates utriusque sententiæ à se mutuò non discedunt.

Digitized by Google

utrinque prodeuntium finis fieret, Bucerus, cùm voce, tum ſcriptis, ſuſceptis quinetiam huc illuc itineribus, nihil omittebat; neque ab hac manſuetudine abhorrebat Melanchton. Horum ſtudiis inita iterùm Wittebergæ Concordia, an. 1536.; cujus formula à Melanchtone ſcripta eſt, eíque Lutherus cum aliis ſex ſuæ partis Theologis, ex altera parte Theologi undecim ſubſcripſêre: Ad quam Concordiam Helvetii mox acceſſêre; quos inter & Lutherum amiciſſimæ ea occaſione literæ ſcriptæ ſunt. Verùm renovata poſtmodùm lis eſt, Lutherô Zuinglii memoriam atque dogmata ſubinde oppugnante; iratô inprimis, ut aïunt, quòd ſua Bibliorum Verſione non contenti Tigurini, novam & ipſi, auctore *Leone Judæ*, edidiſſent: Qua occaſione vehementer exarſiſſe fertur, Scriptíſque virulentiſſimis Zuinglii ſequaces adortus eſt. Quibus convitiis ne par pari redderent Helvetii, eos pro ſolita ſua manſuetudine

Bucerus & Melanchton pacifici.

Concordia Wittembergenſis an. 1536.

Amicæ inter Lutherum & Helvetios epiſtolæ.

Lis renovatur an. 1539. & 1543.

dine

dine monebat *Bucerus*; Ipséque etiam *Calvinus* noster, datis ad *Bullingerum* literis, quantus esset Vir Lutherus, & quanta pro Evangelio præstitisset, in memoriam revocabat, notabilia hæc verba subjungens; *Sæpe dicere solitus sum, etiamsi me diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei servum agnoscam; qui tamen ut pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitiis laboret.* Ferunt Lutherum, paulò ante mortem, Melanchtoni fassum esse, *ulteriùs se in hoc negotio progressos esse quàm oportuerat:* Regerenti verò Melanchtoni, *Scriptum ergo aliquod mite eam in rem vulgandum fuisse*, reposuisse, non id se posse, *ne totam doctrinam suspectam redderet; sed id ipsis, suum post obitum, curandum relinquere.* Verùm enimverò, quæ, vivô Lutherô, exorta fuerat discordia, eô defunctô non modò sopita non est, sed & vehementiùs exarsit; viris quibusdam turbulentis, *Joachimo Westphalo, Flac-*

Insignia *Calvini* verba de Luthero.

Lutherus, ante mortem, moderatior factus.

Mortuô Lutherô, dissidia continuata, imò & aucta.

cio

vio Illyrico, *Tilemanno Heshusio*, aliísque, adversùs Zuinglium, Calvinum, eorúmque adseclas, acerbissima Scripta vulgantibus, ad quæ respondere, *Bullingerus*, *Calvinus*, *Beza*, necesse habuerunt. Ut verò lis ex lite seritur, ad defendendam corporalem Christi in Eucharisticis Sacris præsentiam, primarii quidam Lutherani, *Johannes Brentius*, & *Jacobus Andreas*, aliàs *Smidlinus* dictus, omnipræsentiam Corporis Christi statuerunt; quam hypothesim aliquando jam produxerat Lutherus, sed ab ea mox recesserat; eáque magnæ etiamnum Lutheranorum parti haudquaquam probatur. Atque sic uni dissidii materiæ, quæ fuerat de Eucharistia, altera hæc insuper accessit, Utrùm divinæ proprietates humanæ Christi naturæ communicatæ sint; quæ *communicatio Idiomatum* vulgò adpellatur. Quibus duabus & tertia pòst adjuncta est, de *Prædestinatione* nimirùm, Lutheranis ad mitiora Melanchtonis principia

Ubiquitatis dogma à Lutheranis quibusdam productum.

Hinc nata II. Controversia, de Persona Christi, & *communicatione Idiomatum*.

III. Controversia, de *Prædes.*

 cipia

Digitized by Google

[...]lnatione, quando cœperit.

cipia delabentibus, dum Reformati plerique rigidioribus adhærescerent: Quæ controversia Argentorati primùm, inter *Zanchium* & *Marbachium*, circa an. 1561. postmodùm inter *Bezam* & *Jacob. Andreæ*, in Colloquio Montisbelgardensi, an. 1586. magno æstu agitata est. Sed & inter Lutheranos ipsos, de non uno disputatum est Doctrinæ capite; putà, de *Adiaphoris*, de *Synergismo*; de bonorum operum necessitate, de natura peccati originalis, de modo quô justitia Christi nos justificat, &c. Item, de *variata* vel *invariata* Confessione Augustana, in decimo nempe Articulo, qui est de S. Cœna; quem diversa tantisper ratione, quanquam sensu non diverso, ob prudentiæ rationes, vario tempore scripserat Melanchton, haud repugnante Luthero, nec cæteris Protestantibus; sed rigidioribus postmodùm, quorum caput *Flaccius Illyricus*, Melanchtonis memoriæ atque discipulis ea de causa litem moven-

Dissidia quædam inter ipsos Lutheranos.

De *variata* & *invariata* Confessione Augustana.

ventibus. Quæ quidem domesticæ Lutheranorum altercationes eò tandem perductæ sunt, ut, jussu Electoris Saxoniæ *Augusti*, Torgæ primùm anno 1574. quindecim Theologi rigidiores convenirent, & Doctrinæ Formulam conscriberent: Quæ Formula deinde, in Bergensi Cœnobio prope Magdeburgum, à sex delectis Theologis, *Jacobo Andreæ*, *Nicolao Selneccero*, *Davide Chytræo*, *Martino Chemnitio*, *Musculo*, & *Cornero*, examinata est atque emendata, anno 1577. tandémque anno 1580. in lucem edita. Cui ut subscriberent, Lutheranorum benè multi adducti sunt, Electores, Principes, Civitates, & Sacrorum Administri ad octo millia: Qui renuerunt, muneribus moti, imò & multi in carcerem trusi, duréque admodum habiti sunt. Formulam illam ægrè tulerunt Reformati; utque ab ea imponenda abstineretur, pro virili operam dederunt: Qua de causa Francofurtum convenerunt

Liber *Concordiæ Bergensis*, an. 1580.

Reformatis gravis, & à Lutheranis plurimis rejectus.

Legati *Elizabethæ* Angliæ Reginæ, Fœderatorum Belgii Ordinum, *Johannis Casimiri* Principis Palatini, Ecclesiarum Gallicarum, Polonicarum, Hungaricarum, aliarúmque, à quibus urgentissimæ eam in rem ad Principes Lutheranos literæ scriptæ sunt. Sed prævaluit Formula; non tamen ubique; siquidem à multis Lutherani ritûs Ecclesiis rejecta est, hodiéque rejicitur. Cæterùm, dum ferveret infelix illud inter Protestantes dissidium, non semel tamen, nec uno in loco, concordia inter utrosque inita est; putà *in multis Poloniæ* & Bohemiæ Conventibus, *Sendomiriæ* & *Posnaniæ* an. 1570. *Cracoviæ*, an. 1573. *Petricovii* an. 1578. *Wlodislaviæ* an. 1583. *Torunii* an. 1595. Quibus in Conventibus, Evangelici Augustanam, Bohemicam, & Helveticam Confessionem profitentes, fraternam concordiam in omnibus Religionis capitibus inierunt, articulô de S. Cœna, generalibus terminis, ad modum Concordiæ

Consensus Sendomiriensis, an. 1570. aliique, in Polonia & Bohemia.

Wit-

Wittembergensis, ita conceptô, ut ab utraque parte admitti posset. Tentata & alibi non semel, institutis inter Theologos Colloquiis, conciliatio; v. g. in *Colloquio Mulbrunnensi*, an. 1564. inter Palatinos Theologos & Wirtembergicos; in *Colloquio Montpelgardensi*, an. 1586. inter *Theod. Bezam* Theologum Genevensem, & *Jacobum Andreæ*, Theologum Tubingensem, illiúsque Academiæ Cancellarium: Sed parùm prosperi horum tentaminum exitus fuêre; fervidis ingeniis ac immansuetis, quorum magnus semper numerus est, omnia pacificorum consilia sufflaminantibus. Colloq. Mulbrun. an. 1564. Montpelg. an. 1586. &c.

Summa Capita
SECTIONIS XIV.

De dissidio Britannico, inter *Episcopales & Presbyterianos.*

Dissidii Britannici, inter Episcopales *&* Presbyterianos, *origo. Prima*

de Vestibus disceptatio, circ. *an.* 1550. Buceri & Martyris *moderata eam in rem sententia.* Johannes à Lasco, *Vestes, & ritus quosdam Eccl. Angl. damnat. Profugi multi, regnante* MARIA, *Presbyteriano regimini & cultui, in exteris regionibus, adsuefiunt.* Joh. Knox, *Scotus, Presbyterianismi adsertor. Sub* ELIZABETHA, *novæ de Cæremoniis disputationes. Reginæ ad Cæremonias & superstitionem propensio: Episcopis molesta. Quidam à Cæremoniis alienissimi; alii moderatiores. Episcoporum Anglorum, & Theologorum Helvetiorum, moderatissima de Ceremoniis Anglicanis sententia. Articuli sex Cleri Anglicani judicio subjecti, an.* 1562. *Disceptatum de Articulis illis in Cleri conventu, parúmque abfuit quin prævalerent. Multi à Cæremoniis & Regimine Anglic. abhorrent, & propterea exauctorantur.* Joh. Fox, *Martyrol. Angl. scriptor, Canoni-*
bus

bus non subscribit, sed tamen toleratur. Schismatis initium, circ. an. 1567. Bezæ *& Theol. Helvet. moderatissima consilia. Admonitiones duæ à* Non-conformistis, *seu Dissentientibus, supremo Regni Senatui oblatæ, an.* 1572. *Majora & acerbiora indies dissidia.* Brownistarum, *seu* Independentium, *ortus, an.* 1582. *Schismatis continuatio, & pravi effectus.*

SECTIO XIV.

De dissidio Britannico, inter Episcopales *&* Presbyterianos.

ALiud divortium, haud minùs pertinax, reíque Reformatæ haud minùs damnosum, Britannicas Ecclesias distraxit; putà, de Vestibus sacris, de Episcopatu, de Cæremoniis, &c.: A quibus institutis, innocuis licèt, & bono animo retentis, ut facilior à Papatu ad Sacra emendata transitus esset, rigi-diores

Dissidii Britannici, inter *Episcopales & Presbyterianos*, origo.

Digitized by Google

diores non pauci abhorruêre; résque in apertum Schisma tandem erupit. Cœpit dissidium, regnante EDWARDO VI. circa annum 1550. nec nisi de Vestibus Episcopalibus statim quæstio fuit; *Hooperô*, *Rogeriô*, *Bradfordiô*, &c. viris optimis atque piissimis, ut vel ex eorum martyrio constitit, Vestes illas aversantibus; eò usque ut nominatus ad Episcopatum Glocestriensem Hooperus, per plures menses eâ de caussâ restiterit, nec se submiserit nisi hac lege, ut in Consecratione quidem, solemnioribúsque *quibusdam* diebus, Vestes *illas* gestaret, reliquo tempore iis abstineret. *Bucerus* & *Martyr*, quorum rogata hanc in rem sententia est, Papisticas illas Vestes amoveri quidem optâssent; sed tamen, cùm res essent adiaphoræ, earúmque usus à Suprema Potestate retentus atque imperatus, Hoopero, ut se submitteret, auctores fuerunt: Quam ad rem etiam, *Cranmerus*, Cantuariensis Præsul, & *Rid-*

Prima de Vestibus disceptatio, circ. an. 1550.

Buceri & *Martyris* moderata eam in rem sententia.

Digitized by Google

Ridleius Londinensis, eum hortati sunt. Sed ex adverso, Germanicæ Ecclesiæ Londini institutæ Pastor, *Johannes à Lasco*, vestimentorum illorum usum, nec non & adgeniculationem in sumenda Eucharistia, publico Scripto impugnavit: Quæ scintillæ ad tempus exiguæ, maximum ac funestissimum progressu temporis incendium creârunt. Regnante MARIA, atque in Reformatos furente, pii multi in exteras oras se recipere coacti sunt: Et alii quidem *Francofurti*, alii *Argentorati*, alii *Tiguri*, alii *Basileæ*, nonnulli etiam hîc *Genevæ*, sedem fixerunt. Quibus in locis, cùm aliud ab Episcopali regimen vigeret, alia Liturgia, parcioresque in Cultu Divino ritus, his sese moribus Exulum illorum non pauci adsuefecerunt; suúmque illud ingenium, reduces in Angliam, secum tulerunt. Et inter eos quidem qui *Francofurti* commorabantur, aliqua his de rebus disceptatio fuit, aliis Anglica-

Joh. à Lasco, Vestes, & ritus quosdam Eccl. Angl. damnat.

Profugi multi, regnante *Mariâ*, Presbyteriano regimini & cultui adsuefiunt.

Digitized by Google

nas Cæremonias & Liturgiam retinentibus, aliis eas omittentibus, vel aliqua saltem ex parte immutantibus. Horum caput *Johannes Knox* fuit, Verbi Divini Minister Scotus, Calvino conjunctissimus, Genevensisque Disciplinæ ac Liturgiæ adsertor: Quem ad modulum postea Scoticam Reformationem adornavit, neque parùm ad easdem in Anglia disseminandas notiones contulit. Cùm enim, exstinctâ Mariâ, solióque admotâ ELIZABETHA, res Reformata instaurata in Anglia esset, novæ, & antecedentibus quidem acriores, de Cæremoniis disputationes exortæ sunt. Cæremoniis, externǽque in Sacris pompæ, supra modum favebat Regina; eò usque ut Cruculam argenteam, unà cum cereis accensis, in Sacello semper retineret: Quinimò & voluisset, nisi restitissent Episcopi, Christi crucifixi, Mariæ Virginis, & Johannis Baptistæ imagines, in locis Ecclesiarum editioribus collocari, ut

Joh. Knox Scotus, Presbyterianismi adsertor.

Sub Elizabetha, novæ de Cæremoniis disputationes.

Reginæ ad Cæremonias & superstitionem propensio.

à

à Populo conspicerentur, & prototyporum reverentiam in animis excitarent: Quæ res, sapientissimis illorum temporum Episcopis, *Parkero* Cantuariensi, *Juello* Sarisburiensi, *Sandio* Vigorniensi, aliísque, acerbissima erat, eíque pro viribus adversabantur. Renovata itidem hoc tempore, de Papisticis vestibus, aliísque ritibus, dissidia; quibusdam, *Laurentio Humphredo*, *Thoma Sampsone*, aliísque, deserendas potiùs Ecclesias existimantibus, quàm ut *reliquiæ illæ Amorrhæorum* (sic eos ritus vocabant) retinerentur & confirmarentur; aliis verò moderatiorem ea de quæstione sententiam foventibus: Hi nempe optâssent quidem, vestes illas, eósque ritus, qui Papismum nimis redolerent, amoveri atque emendari; sed, iis publicâ auctoritate retentis, deserendam stationem, permittendósque parùm idoneis Pastoribus greges, haudquaquam existimabant: Quæ fuit mens *Edmundi Grindalli*, Episcopi

Episcopis molesta.

Quidam à Cæremoniis aversissimi;

Alii moderatiores.

Digitized by Google

Episcoporum Anglorum, & Theologorum Helvetiorum, moderatissima de Cæremoniis Anglic. sententia.

copi Londinensis, *Johannis Juelli* Sarisberiensis, *Roberti Horni* Vintoniensis, *Edwardi Sandi* Vigorniensis, aliorúmque; nec non & Theologorum Helvetiorum, *Bullingeri*, *Gaulteri*, *Martyris*, (tunc enim Tiguri *Martyr* versabatur) imò verò & *Calvini* nostri; quos inter, & Præsules illos, sapientissimæ ac moderatissimæ ea de quæstione literæ scriptæ sunt, ex Archivis Tigurinis magnam partem nuper descriptæ, & ab illustrissimo Reformationis Anglicanæ Historico BURNETO, Sarisbur. Episc. publici juris factæ. Magno *documento*, quanta moderatio & prudentia utrisque esset, &, quominùs infausta illa secuturi Schismatis principia in herba veluti suffocarentur, penes ipsos haudquaquam stetisse. Refert idem Scriptor Articulos sex, inferiori Domui Cleri Anglicani Provinciæ Cantuariensis oblatos, an. 1562. quibus sequentia requirebantur; 1. ut, solis exceptis Dominicis diebus, cæterísque diebus Christo sacris,

Articuli sex Cleri Anglicani judicio subjecti, an. 1562.

Festa

Festa reliqua abrogarentur. 2. ut, in legendis publicis Precibus, Sacrorum Minister versùs Populum se converteret, & distinctè prælegeret, quo Populus facilè audire ac ædificari posset. 3. ut signum Crucis, in Baptismo adhiberi solitum, tanquam ad superstitionem vergens, omitteretur. 4. Cùm multi, ob ætatem aut morbos, genua flectere in sumenda Eucharistia commodè non possent, & multi etiam ritum illum ad superstitionem traherent, id prudentiæ Ordinariorum in sua cujusque Jurisdictione relinqueretur. 5. ut sacrarum vestium in Cultu divino usus certis limitibus adstringeretur, vestésque decentes in Sacris faciendis adhiberentur. 6. ut Organorum Musicorum usus aboleretur. De sex illis Articulis, multa fuit in eo Cleri conventu disceptatio, aliis eos adprobantibus, aliis improbantibus, aliis negotium illud omne Archiepiscoporum ac Episcoporum judicio relinquentibus.

Disceptatum de Articulis illis in Cleri conventu; parúmque abfuit quin prævalerent.

Ha-

Habitæ quinetiam, à viris doctis illius Consessûs, publicæ his de Articulis disputationes: Quibus auditis, rogatâ adstantium sententiâ, octo suffragiis prævalebat Articulorum adprobatio; adprobantibus 43. rejicientibus 35.: Sed, numeratis pro more absentium etiam suffragiis, improbatio Articulorum uno suffragio superior fuit; 59. adversùs 58. Quæ singula ideò notamus, ut pateat, Cleri Anglicani non exiguam partem, à Cæremoniarum quæ offenderent emendatione haudquaquam abhorruisse. Porrò, confirmatis publicâ auctoritate, & Confessione, & Liturgiâ Anglicanâ, ipsâque Reginâ ad Cæremonias retinendas ac imponendas propensissimâ, haud pauci tamen, nec ignobiles in Clero, reluctabantur. Et nonnulli quidem propterea muneribus moti, & à concionando prohibiti: Sed & mitiùs cùm aliis actum; v. g. cum *Johanne Foxio*, celeberrimo Martyrologii Anglicani Scrip-

Multi à Cæremoniis & Regimine Anglic. abhorrent, & propterea exauctorantur.

Joh. Fox. Martyrol. Angl. Scri.

Scriptore, qui cùm Canonibus Anglicanis juberetur ſubſcribere, productô in medium Novô Teſtamentô, *huic*, dixit, *ſubſcribam*; Quo non obſtante, ſua in ſtatione, quoad vixit, relictus eſt. Interim augebatur magis magiſque animorum ab utraque parte commotio: Eóque res tandem delapſæ ſunt, ut multi, non à publicis modò Cœtibus diſcederent, ſed & privata, ſuo more faciendis Sacris, conventicula erigerent; quæ res aperti Schiſmatis initium fuit. Damnabant ſeparationem illam multi etiam ex iis qui Cæremonias Anglicanas quammaximè emendari voluiſſent. Quin & conſultus hanc in rem *Beza*, ſicut & Tigurini Theologi, *Bullingerus* & *Gualterus*, moderatiſſimorum conſiliorum, & ad ſarciendam concordiam aptiſſimorum, utrique parti auctores fuerunt, prout ex eorum literis etiamnum exſtantibus conſtare poteſt. Sed incitatiores animi, partiúmque ſtudiis ſervientes, haud facilè dictis audiunt.

ptor. Canonibus non ſubſcribit, ſed tamen toleratur.

Schiſmatis initium circ. an. 1567.

Beza, & *Theolog.* Helvet. moderatiſſima conſilia.

dunt. Ergo unam atque alteram Admonitionem, & eas quidem justo acriores, supremæ Regni Curiæ offerunt Non-conformistæ, quibus de Regimine Episcoporum & Archiepiscoporum tanquam Antichristiano, de Liturgia Anglicana tanquam Papisticis quisquiliis scatente, de Sacramentis tanquam pluribus ineptiis fœdatis, vehementissimum in modum queruntur. Quibus conviciis, tantùm abest ut medicina malis allata sit, ut contrà non parùm sint exasperata, & extra omnem emendationis spem constituta. Nam, ex una parte, *magna Plebis pars*, adversùs Anglicanam Ecclesiam, & Sacra Legibus jussa, incitatior indies fiebat: ex altera parte, in renitentes, séque Ecclesiæ communioni subducentes, severè animadvertebatur; quorum & nonnulli, *Barrovius*, *Grenwood*, *Penry*, aliíque, capitis supplicio adfecti sunt. Et duo quidem é primariis Schismatis auctoribus, *Robertus Brownius*, & *Tho-*

Admonitiones duæ à *Non-conformistis* Parliamento oblatæ. an. 1572.

Majora & acerbiora indies Dissidia.

Thomas Harrison, cùm in Anglia suos habere conventus non possent, Middelburgum Zelandiæ, unà cum aliis quibusdam, se receperunt, an. 1582. ibique *Brownistarum* seu *Independentium* (sic dicuntur qui singulas Ecclesias à se mutuò sejunctas, nullíque confœderationi aut Conventui obnoxias volunt) capita fuêre. Sed Brownius in Angliam mox reversus est, séque Ecclesiæ Anglicanæ exteriùs saltem submisit, dum sua interim conventicula privatim cogeret ac frequentaret. Atque ita se dissidia illa, toto Elizabethæ principatu; hoc est, ultra Sæculi finem, habuêrunt: Quantùm verò aucta & exacerbata Sæculo sequenti fuerint, quantúmque olei Civilibus adfuderint discordiis, suo loco à nobis narrabitur.

Brownistarum, seu Independentium, ortus, an. 1582.

Schismatis continuatio, & pravi effectus.

Digitized by Google

Summma Capita
SECTIONIS XV.
De Ecclesia Græca.

Ecclesiæ Græcæ Sec. XVI. status depressus. Josephus *Patr. Constantinop. cognoscendæ Protestantium doctrinæ cupidus. Confessio Augustana græco idiomate ad eum missa.* Jeremiæ *Patr. Constant. cum Theologis Tubingensibus commercium. Capita dissensûs inter Græcos & Protestantes. Major dissensus inter Græcos & Pontificios.* Meletius *Patriarcha à Romana Communione alienissimus.*

SECTIO XV.
De ECCLESIA GRÆCA.

Ecclesiæ Græcæ Sæc. XVI. status depressus.

ECclesiæ Græcæ, post captam à Turcis Constantinopolim, an.

1453.

1453. depressus admodum status fuit; Religionis libertate nonnisi annuis tributis redemptâ; raráque ac perexiguâ, in Ecclesiis illis, earúmque ductoribus, doctrinæ laude. Quosdam tamen cognoscendæ Protestantium doctrinæ cupido incessit: Qua de causa, *Josephus*, Patriarcha Constantinopolitanus, *Demetrium* Ecclesiæ suæ Diaconum in Germaniam misit, an. 1548.; qui, per semestre spatium, Vittebergæ commoratus, græcum Confessionis Augustanæ exemplar, unà cum literis *Melanchthonis*, ad Patriarcham suum retulit. Josephi successori *Jeremiæ*, epistolicum commercium cum Theologis Tubingensibus fuit, ab anno 1574. usque ad 1581. operâ in primis *Stephani Gerlachii*, Cæsarei apud Turcam Oratoris Ecclesiastæ, & *Martini Crusii*, Græcarum literarum in Academia Tubingensi Professoris; à quo & Literæ illæ, ultrò citróque scriptæ, Græcè & Latinè editæ sunt. Jeremias consensum

Josephus Patr. Constant. cognoscendæ Protestantium doctrinæ cupidus.

Confessio August. græco idiomate ad eum missa.

Jeremiæ Patr. Constant. cum Theologis Tubingensibus commercium.

suum cum Protestantibus in plerisque testatus est: In his tantùm dissensus fuit; 1. de processione Spiritûs sancti; 2. de libero arbitrio, & bonis operibus, 3. de traditionibus, & auctoritate Veterum Patrum; 4. de numero Sacramentorum, 5. de Sanctorum invocatione, 6. de Imaginibus, 7. de Monachatu. Cæterùm ab Ecclesia Romana plus longè aberant Græci, putà de Papæ suprematu, Sacris vernaculis, azymis, communione sub utraque specie, purgatorio, *cœlibatu Clericorum, &c. Quæ caussa fuit, cur Græci Antistites, omnium verò maximè Meletius Piga*, primùm quidem Alexandrinus, deinde & Constantinopolitanus sub Sæculi finem Patriarcha, à Communione Romana plurimùm abhorruerint, majorémque ad Protestantium doctrinam propensionem testati sint.

Capita dissensûs inter Græcos & Protestantes.

Major dissensus inter Græcos & Pontificios.

Meletius Patriarcha à communione Romana alienissimus.

Sum-

Summa Capita
SECTIONIS XVI.
De *Antitrinitariis.*

Antitrinitarii *Saec. XVI. Societas quaedam Italorum, circ. an.* 1546. Laelius Socinus. Faustus Socinus. *Multae Unitariorum Ecclesiae in Polonia & Transsylvania.* Georg. Blandrata. Franc. Davidis. *Disceptatio inter illos, de Christi invocatione.* Socinianismus *Photinianismi renovatio.* Mich. Servetus. Val. Gentilis. *De Haereticidio quid videatur.*

SECTIO XVI.
De Antitrinitariis.

A*Ntitrinitarii* hac aetate multi occurrunt; quorum pars ma- Antitrinitarii Saec. XVI.

 xima

xima Photinianismum vel Sabellianismum, nonnulli etiam Arianismum renovabant. Tales fuêre Itali quidam, numero quadragenarium excedente, qui circa annum 1546. in Veneta ditione, prope Vicentiam, conventicula & colloquia inter se habebant. In his memorantur, *Leonardus* Abbas Busalis, *Lælius Socinus*, Senensis patricius, *Bernardinus Ochinus*, *Nicolaus Paruta*, *Valentinus Gentilis*, *Julius Trevisanus*, *Franciscus de Ruego*, *Paulus Alciatus*, aliique. Sed cùm detecti essent, imò & duo, *Julius Trevisanus*, & *Franc: de Ruego*, comprehensi, & supplicio adfecti, cæteri sibi consulturi in varias oras dispersi sunt. *Lælius Socinus*, Helvetiam, Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam, Poloniam, peragravit; multísque, per eas regiones, suas notiones instillavit. Obiit Tiguri an. 1562. cùm nonnisi 37. ætatis annum ageret. Illius ex fratre nepos, *Faustus Socinus*, actis in Aula Magni

Societas quædam Italorum, cir. an. 1546.

Lælius Socinus.

Faustus Socinus.

Hetru-

Digitized by Google

Hetruriæ Ducis annis duodecim, varias quoque peragravit oras, tandémque anno 1579. in Poloniam venit, ibíque commorandi sedem fixit. Multæ tum erant, in Polonia & Transsylvania, Unitariorum Ecclesiæ, faventibus ei sententiæ Nobilibus non paucis, inprimis *Johanne Sigismundo* Transsylvaniæ Principe, nec non & *Stephano* & *Christophoro Battoreis*, illo etiam ad Poloniæ Regnum evecto. Horum Archiater & Consiliarius fuit *Georg. Blandrata*, Saluciensis Italus, quem inter & *Franciscum Davidis*, de invocatione Christi disceptatio fuit. Christum invocandum negabat *Franciscus Davidis*; *Blandrata* & *Socinus* affirmabant; Qua de caussa, à Christophoro Battoreo, Transsylvaniæ Principe, in custodiam conjectus est *Franc. Davidis*, ibíque mortuus an. 1579. Plurima scripsit *Faust. Socinus*, cùm Exegetica, tum Polemica, quæ in *Bibliotheca Fratrum Polonorum* principem locum occupant:

Multæ Unitariorum Ecclesiæ in Polonia & Transsylvania.

Georg. Blandrata.

Franc. Davidis.

Disceptatio de Christi invocatione, inter unitarios.

Socinianismus Photinianismi propago.

ab eóque *Socinianismus*, Photinianismi renovatio, nomen accepit. Obiit in pago Luclaviciis dicto, propè Cracoviam, an. 1604. ætatis 65. Intér Antitrinitarios, omittendus non est *Michaël Servetus*, aliàs *Reves*, *Villanovani* etiam nomine notus, Tarraconensis Hispanus, professione Medicus, qui, lustratis etiam variis regionibus, nec unô, jam inde ab anno 1531. adversus Trinitatem vulgatô librô, cùm é carcere Viennensi effugisset, & in Italiam profecturus Geneva transiret, illic comprehensus & ad rogum damnatus est, *Octobri* mense anni 1553. Par fuit *Valentini Gentilis* factum, qui, cùm in oppido *Gaio* dicto, Genevæ vicino, conjectus in vincula esset, indéque liberatus, & in Poloniam profectus, postmodùm reversus in Sabaudiam, captus est iterùm, & Bernæ decollatus, an. 1566. Quæ quidem Hæreticidii specimina, haud alia meliùs excusari ratione videntur, quàm si dicatur

Mich. Servetus.

Val. Gentilis.

De Hæreticidio quid videatur.

cùm

cum Viris gravissimis, & Orthodoxiæ addictissimis, reliquias Papatûs fuisse.

Summa Capita

SECTIONIS XVII.

De Judæis.

De Judæis. R. Lemlem *Pseudo-Messias, an.* 1500. *R.* Salomo Malcho, *Pseudo-Messias, crematus an.* 1534. *R.* Elias Levita, *novitatis punctorum Hebr. adsertor. Vexati à Papis Judæi.*

SECTIO XVII.

De *Judæis.*

JUdæis, annô 1500. ludos fecit Rabbi quidam *Lemlem*, qui se Messiam, vel Messiæ prodromum dixit. Cujus dictis adeò confide- bant

De Judæis. R. *Lemlem* Pseudo-Messias, an. 1500.

Digitized by Google

bant Judæi Germani, ut furnos domuum suarum demolirentur, sperantes, se, proximô annô, panem in Terra Sancta cocturos. Sed periit impostor ille, neque datam fidem liberavit. Fuerunt & alii *Pseudo-Messiæ*, in primis Rabbi quidam *Salomo Malcho*, qui Mantuæ, jubente Carolo V. vivus crematus est, an. 1534. Inter Judæos hujus Sæculi, doctrinæ laude eminuit R. *Elias Levita*, Germanus, cujus Scripta non pauca, Grammatica præsertim, exstant: *Is Hebraïcorum novitatem punctorum docuit.* Animum Judæis infensum Pontifices non pauci gessêre; in primis, *Julius III.* qui Talmudem flammis devovit; nec non & *Paulus IV. Pius V.* & *Clemens VIII.*

R. *Salomo Malcho* Pseudo-Mess. crematus an. 1534.

R. *Elias Levita*, novitatis punctorum Hebr. adsertor.

Vexati à Papis Judæi.

Sum-

Digitized by Google

Summa Capita
SECTIONIS XVIII.

De re Literaria.

De statu Literarum Sæc. XVI. Theologi. Humaniorum Literarum cultores. Cultores Literarum Hebraicarum. Jurisconsulti. Historici. Philosophi. Typographi celebres ac eruditi. Scriptores Græci & Romani in lucem editi. Principes Literis faventes. Academiæ erectæ. Literarum splendor ad Sacra emendanda multùm contulit.

SECTIO XVIII.

De *re Literaria.*

FLoruêre hôc Sæculô, si alio unquam, Literarum studia; ingénsque Virorum Doctorum proventus, De statu Literarum Sæc. XVI.

ventus, per omnes propemodùm Europæ partes, ac in omni Disciplinarum genere, visus est. Nam, ut de Theologis nihil addamus, quos magno jam numero, cùm Protestantes, tum Pontificios, in exponendis hujus Sæculi rebus, memoravimus, vel solæ illæ Literæ, quæ ab humanitate nomen sortiuntur, mira cepêrunt incrementa, summóque studio ab innumeris primæ notæ Viris excultæ sunt: Quales fuêre, præ cæteris, *Desiderius Erasmus*, *Ludovicus Vives*, *Gulielmus Budæus*, *Petrus Bembus*, *Jacobus Sadoletus*, *Phil. Melanchton*, *Joach. Camerarius*, *Julius Cæsar Scaliger*, *Justus Lipsius*, aliique, quos recensere longum nimis esset. Literas Hebraïcas excoluêre, *Johannes Reuchlinus*, aliàs *Capnio*, *Franc. Vatablus*, *Ben. Arias Montanus*, *Sebast. Munsterus*, *Paulus Fagius*, *Andreas Masius*, *Joh. Mercerus*, &c. Juris scientiam politiori literatura ornatiorem fecêre, *Jacobus Cujacius*, *Franc. Hotomannus*,

Theologi.

Humaniorum Literarum cultores.

Cultores Literarum Hebraïcarum.

Jurisconsulti.

Barn.

Digitized by Google

Barn. Brissonius, *Pithæi* fratres, *Petrus* & *Franciscus*, &c. Historias mirâ elegantiâ scripsêre; *Paulus Æmilius*, *Polidorus Virgilius*, *Johannes Sleidanus*, *Georgius Buchananus*, &c. Inter Philosophos atque Astronomos eminuêre, *Nicolaus Copernicus*, & *Tycho Braheus*, duorum Mundi Systematum inventores. Neque defuêre Typographi celeberrimi, inter Viros Doctos haud omittendi; in Italia nempe, *Aldi Manutii* duo, avus & nepos, & inter utrosque *Paulus*; in Gallia, *Stephani*, *Henricus*, *Robertus*, *Henricus* alter, *Carolus*; in Helvetia, *Frobenii* duo, *Johannes* & *Hieronymus*; *Oporinus*, *Hervagius*; in Germania, *Christianus Weckelius*, &c. A quibus, præter Scripta recentiorum, Antiquitatis, cùm Græcæ, tum Latinæ, thesauri, è Bibliothecarum tenebris educti, & elegantissimis typis descripti sunt. Ad excitanda per Europam Literarum studia, haud mediocriter contulit Virorum Principum

Historici.

Philosophi.

Typographi celebres ac eruditi.

Scriptores Græci & Romani in lucem editi.

Principes Literis faventes. cipum patrocinium & munificentiâ, quales fuêre *Carolus V.* Imperator, *Franciscus* I. Galliæ Rex, *Henricus VIII.* Rex Angliæ, *Cosmus Mediceus*, *Leo X.* Pontifex, aliíque. Erectæ etiam magno numero Scientiarum officinæ ac seminaria, Academiæ nimirùm tota passim Europa fundatæ; in Germania quidem, *Wittebergensis*, *Francofurtana*, *Marpurgensis*, *Dillingensis*, *Jenensis*, *Helmstadiensis*, *Argentoratensis*, *Altorfina*; inter Borussos, *Regiomontana*; in Dania, *Hafniensis*; in Belgio, *Duacensis*, *Leidensis*, *Franekerana*; in Gallia, *Rhemensis*; in Hispania, *Complutensis* & *Toletana*; denique nostra hæc *Genevensis*, an. 1559. *Theodoro Beza* primo Rectore. Quantùm verò ad Sacrorum emendationem Literarum splendor valuerit, res est in vulgus nota, & prædicari satis non potest.

Academiæ erectæ.

Literarum splendor ad Sacra emendanda multùm contulit.

FINIS SÆCULI XVI.

SÆCU-

SÆCULUM XVII.

SCiſſus in duas potiſſimùm partes, *Pontificiorum* & *Proteſtantium*, in his ſaltem occiduis partibus, Chriſtianus Orbis fuerat: Quibus non levia, totô hôc Sæculô, cùm inter ſeſe, tum ſecum invicem, diſſidia interceſſêre: De præcipuis, pro inſtituta brevitate, verba faciemus. *Pontificii & Proteſtantes.*

Summa Capita

SECTIONIS I.

Res Romanæ. Congregatio de Auxiliis. *Incipit an.* 1598. *ſub* Clemente VIII. *Deſinit an.* 1607. *ſub* Paulo V. *Nihil pronuntiat; ſilentium tantùm indicit. Diſſidium inter* Paulum V. *&* *Rempublicam* Venetam. *Ejus occaſio. Veneti à Pontifice Sacris interdicti. Pax inita. Tractatus varii de hoc diſſidio.*

P.

P. Paulus, *Reipublicæ Venetæ Theologus*; *à sicariis interfectus. Memorabile ejus dictum de se ipso. F.* Fulgentius, *ejus discipulus.*

SECTIO I.

Res Romanæ. Congregatio de Auxiliis. *Dissidium inter* Paulum V. *&* *Rempublicam* Venetam.

Res Romanæ.

Congregatio de Auxiliis.

Incipit an. 1598. sub *Clemente VIII.*

Definit an. 1607. sub *Paulo V.*

Nihil pronuntiat; silentium tantùm indicit.

ROmæ, inde ab anno superioris Sæculi 98. instituta à *Clemente VIII.* Congregatio *de Auxiliis divinæ Gratiæ*, quæ de pugnantibus Dominicanorum & Jesuitarum sententiis, rixísque hinc orientibus, cognosceret. Stetit illa ad annum usque 1607. quô finem ei *Paulus V.* imposuit. Propendebant Consultores illi, ipsique in primis Pontifices, ad damnandam *Molinæ* sententiam, quæ à Jesuitis defendebatur: Sed nihil est pronuntiatum; Silentium tantummodò, usquedùm publica fieret definitio, imperatum

peratum quidem utrique parti, sed à neutra observatum est. Perpetuæ quippe, ut jamjam videbimus, de Quæstionibus illis disputationes postmodùm fuêre.

Grave dissidium, per eadem tempora, inter *Paulum V.* Pontificem, & Rempublicam *Venetam*, fuit. Cùm enim facinorosos quosdam, é clericali ordine, in vincula conjecisset Senatus, Legésque de non ampliandis, absque licentia, Ecclesiæ ditionibus, renovâsset, Pontifex, Leges illas revocari, sibíque tradi reos illos, etiam intentatâ anathematis pœnâ, injunxit. Cùm verò dicto non parérent Veneti, iis Pontifex sacris interdixit; Senatu, ex adverso, sacra more consueto fieri præcipiente. Quod cùm exsequi nollent Jesuitæ, aliíque quidam Monachi, é Reipublicæ ditionibus expulsi sunt. Tandem, Galliæ Regis interventu, traditísque ejus Legato Clericis illis facinorosis, ablatæ diræ, Venetíque Pontifici re-

Dissidium inter *Paulum V.* & Remp. *Venetam.*

Ejus occasio.

Veneti à Pontifice sacris interdicti.

Pax inita.

 con-

conciliati sunt. Scripti hoc de dissidio Tractatus non pauci, eruditi atque solidi, in primis à *Paulo* Servita, Reipublicæ Venetæ Theologo, qui, in statuendis Ecclesiasticæ & Civilis Jurisdictionis limitibus, cohibendísque Romanæ Curiæ ausis, animosè admodum se gessit, ea de causa Curiæ illius odium ac molimina non semel expertus: Certè à sicariis pluries impugnatus, tandémque interfectus est. Ferunt, illum, si audacior naturâ fuisset, animíque sensa liberiùs protulisset, *Venetorum Rempublicam ad puriorem fidem*, cujus multa tum semina conceperat, *facillimè tracturum fuisse*: Sed non ipsi erat *Lutheri ingenium*, prout ab ipso dictum memoratur. Discipulum non unum reliquit, atque inter alios *F. Fulgentium*, qui Magistri vitam scripto consignavit.

Tractatus varii de hoc dissidio.

P. Paulus Reip. Venetæ Theologus.

à sicariis interfectus.

Memorabile ejus dictum de seipso.

F. Fulgentius discipulus.

Sunt

Summa Capita
SECTIONIS II.

Conjuratio pulveris pyrii, contra JACOBUM I. *Angliæ Regem an.* 1605. *Ejus retectio.* Garnetus, *alíique Jesuitæ, conscii. Juramentum fidelitatis in Anglia impositum. Papa Pontificios à juramento illo dehortatur. Libri hanc in rem scripti.* HENRICUS IV. *Galliæ Rex nefariè interemptus an.* 1610. *Putidæ sicarii excusationes.*

SECTIO II.

Conjuratio adversùs JACOBUM I. *Angl. Reg. Cædes* HENRICI IV. *Gall. Reg.*

VErùm inter molimina omnia, é malè sano Religionis zelo profecta, nullum atrocius, nullum **Conjuratio pulveris pyrii, contra Jacobum I.**

Angl. Regem, an. 1605.

horribilius, ea Conjuratione, quæ adversùs JACOBUM, Angliæ & Scotiæ Regem, familiámque regiam, imò & universos Regni Proceres, annô hujus Sæculi quintô, inita est; subjectâ Curiæ ingenti pulveris pyrii copiâ, qui, dum haberentur Regni Comitia, Réxque ipse adesset, accendi debuit. Res, mirâ Dei providentiâ, paucis ante exsecutionem diebus, quarundam indicio literarum, retecta est. Comprehensi quidam ex auctoribus, &, agnitô scelere, suppliciis adfecti. Eorum *indicio constitit*, *Henricum Garnetum*, aliósque quosdam Jesuitas, facti conscios, imò & adprobatores, fuisse: In quos etiam, pro rei atrocitate, animadversum est. Et hoc quidem scelus, supremam Regni Curiam, ipsúmque Regem, permovit, ad subditos omnes, cujuscumque Religionis, novo fidelitatis Juramento adstringendos; quô profiterentur, »nullam esse Romano »Pontifici Regis exauctorandi po»testa-

Ejus retectio.

Garnetus, aliíque Jesuitæ, conscii.

Juramentum fidelitatis, in Anglia impositum.

Digitized by Google

»testatem, séque nullîus censuræ me-»tu ab ejus obedientia & fide recef-»suros. Cui Juramento ne se subjicerent Angli Pontificii, Pontifices intercessêre, scripsítque ea de re librum Card. *Bellarminus*, qui non modò à Rege ipso, (erat enim is eruditus, librorúmque multorum auctor) Anglísque Protestantibus, sed & à *Barclaio* Pontificio, confutatus est.

Papa Pontificios à Juramento illo dehortatur.

Libri hanc in rem scripti.

Neque verò Britannia solùm, verùm etiam Gallia, quos ad furores præposterus Religionis zelus homines ducat, novo tristíque experimento, hoc tempore edocta est; HENRICO IV. Galliæ Rege, dum per Parisiorum vicos in rheda sua veheretur, à *Francisco Ravalliaco*, Engolismensi, tribus cultri ictibus, nefariè interemptô, 14. Mai. 1610. Comprehensus Regicida factum excusabat, quòd Rex diceretur hæreticis patrocinari, bellúmque velle inferre Papæ; *Papæ autem*, inquiebat, *bellum inferre, est bellum infer-*

Henricus IV. Gall. R. nefariè interemptus an. 1610.

Putidæ sicarii excusationes.

Digitized by Google

re Deo; siquidem Papa est Deus, & Deus est Papa. His fascinatus principiis, à maleferiatis quibusdam Doctoribus, vix tandem ad scelus agnoscendum adduci potuit; cujus gravissimas, juxtà ac meritissimas, pœnas luit.

Summa Capita

SECTIONIS III.

Res Belgicæ. Induciæ cum Hispanis, an. 1609. *De Arminianismo. Dissidium inter* Gomarum *&* Arminium, *de Prædestinatione & adnexis capitibus. Unde ortæ* Remonstrantium *&* Contra-remonstrantium *adpellationes. Collatio Hagiensis, an.* 1611. *Decretum Ordinum Hollandiæ & West-frisiæ an.* 1614. *Synodus Dordracena an.* 1618. *&* 1619. *Citati Remonstrantes.* Simon Episcopius, *eorum primipilus. Eorum sententia dam-*

Digitized by Google

damnata. Joh. Olden-Barnevelt *supplicium*. Grotius *é carcere elapsus*. *Cœtus Remonstrantium prohibiti; sed postea tolerati*. Episcopius, Curcellæus, Poelenburg, Limborch, *præcipui eorum Theologi*. *Judicium de hoc Schismate*.

SECTIO III.

De rebus Belgicis, speciatim de Arminianismo.

ANno, qui tragœdiam illam antecessit, hujus Sæculi 9. Fœderatæ Belgii Provinciæ, pactis cum Hispano duodecim annorum induciis, à belli laboribus tantisper quievêre. Sed alio interim belli genere, Ecclesiastico nimirùm, agitatæ sunt. Huic ansam præbuit dissensio quædam, inter *Franciscum Gomarum*, & *Jacobum Arminium*, ambos Sacrarum Literarum in Academia Lugduno-Batava Professores, de Prædestinatione Divina, & ad-

Res Belgicæ.

Induciæ cum Hispanis an. 1609.

De Arminianismo.

Dissidium inter *Gomarum* & *Arminium*, de Prædestinatione.

ne. & adnexis capp.

nexis capitibus; *Gomaro*, Prædestinationem absolutam, hoc est, solo Dei beneplacito nixam; *Arminio*, eandem conditionatam, seu ex prævisa fide pendentem, statuente: Quo quidem dissidio, non Theologi modò & Ecclesiastæ, sed & Plebs ipsa atque Nobiles, in partes iverunt. Et ii quidem qui Arminii sententiam sequebantur, é libello supplice Ordinibus oblato, anno 1610. (*Remonstrantiam* dicebant) dicti sunt *Remonstrantes*: Reliqui, ob oppositam petitionem, *Contraremonstrantium* nomen sortiti sunt. Habita inter utrosque, *Hagæ*-Comitis, anno 1611. sed exiguo fructu, collatio. Scripti ultrò citróque Libri: Imò & tumultibus ac seditionibus, res non raró agebatur. Quæ ut sedarent Hollandiæ West-frisiæque Ordines, Edicto an. 1614. utrique parti silentium, studiúmque pacis, indixêre. Sed nec id satis pacandis animis fuit. Quamobrem, ex voto Contraremonstrantium, qui, &

Unde ortæ Remonstrantiam & Contraremonstrantium adpellationes.

Collatio Hagiensis an. 1611.

Decretum Ordd. Holland. & Westfris. an. 1614.

& numero prævalebant, & favore apud Arausionensem Principem *Mauritium*, coacta Dordraci Synodus Nationalis est, an. 1618. & 1619.; ad quam invitati ab exteris Reformatorum Ecclesiis Theologi; é Magna Britannia nempe, Gallia, Palatinatu, Hassia, Helvetia, & Rebuspublicis Genevensi, Bremensi, & Embdana. Gallis, prohibente Rege, eò advolare non licuit. Citati ad Synodum Remonstrantes; quorum caussam egit unus é præcipuis, *Simon Episcopius*, sacrarum Literarum in Academia Lugduno-Batava Professor. Sed cùm detrectarent Synodi judicium, eò quòd, ut ipsi quidem dicebant, iidem Judices & Partes essent, eorum sententia, quinque Articulis comprehensa, damnata est. Nec multò pòst, exauctorati passim Remonstrantes, non Pastores modò & Professores, sed & ex Politico ordine. *Johannes Barneveldius*, septuagenario major, summis in Republica mu-

Synodus Dordracena an. 1618. & 1619.

Citati Remonstrantes.

Sim. Episcopius, eorum primipilus.

Eorum sententia damnata.

Joh. Olden-Barnevelt supplicium.

muneribus, diu, nec sine laude, defunctus, sed Mauricio minùs acceptus, capite damnatus est: *Hugo Grotius*, & *Rumboldus Hogerbetius*, ille Roterodamensis, hic Lugdunensis Urbis, Adsessores (Belgicè *Pensionarios* vocant) ad perpetuum carcerem damnati; E quo Grotius, uxoris arte, in capsa libris mittendis ac remittendis destinata, post biennium elapsus. Prohibiti Remonstrantium sacri Conventus: Qui noluerunt promittere, se non ampliùs docendi munere functuros, *in exsilium pulsi; nonnulli &, cùm rediissent, carceri inclusi.* At, non multis pòst annis, tolerari eorum Cœtus cœpêre: Quinimò & Schola, seu Seminarium, Amstelodami ab ipsis institutum est, in quo *Simon Episcopius* primùm, post hunc *Steph. Curcellæus*, dein *Arnoldus à Poelemburg*, tandémque *Phil. à Limborch*, docendæ Theologiæ operam navârunt. Sic natum est, sic continuatum, ad nostra usque tempora; Schis-

Grotius è carcere elapsus.

Cœtus Remonstrantium prohibiti,

sed postea tolerati.

Episcopius, Curcellæus, Poelemburg. Limborch, præcipui eorum Theologi.

Digitized by Google

Schisma illud Remonstrantium; cui, ut & aliis benè multis, vel datus haudquaquam locus, vel citò finis fuisset, si minor esset vis adfectuum in religione, & Christiani, occultis Deo relictis, in revelatis opere implendis occuparentur. Judicium de hoc Schismate.

Summa Capita

SECTIONIS IV.

Bellum Germanicum. Protestantium res passim imminutæ, præsertim in Bohemia. Audax Bohemorum facinus. Fridericus, *Elector Palatinus, in Regem Bohemiæ electus, an.* 1619. *Vincitur ad Pragam, an.* 1620. *Ditionibus & Electoratu spoliatur.* Gustavus Adolphus, *Suecia Rex, res Germaniæ restituit. Pugna Lipsiensis, an.* 1631. *Pugna ad Lutzen, an.* 1632. *in qua Gustavus Rex occumbit.* Christina *Regina, mino-*

rennis. Galli Suecorum & Germanorum fœderati. Pax Westphalica, an. 1648. *&* 49. *Bulla* Innocentii X. *contra hanc Pacem. Protestantium securitas firmata. Lutherani & Reformati hac pace simul comprehensi.*

SECTIO IV.

De Bello tricennali Germanico.

Bellum Germanicum.

IN Germania, cùm de Protestantium juribus ac privilegiis, vario obtentu, variisque in locis, aliquid subinde imminueretur, hinc natum tandem grave illud Bellum, quô, totis triginta annis, non Germania modò, sed & Europa penè universa conflagravit. Caput belli Bohemia fuit, in qua, cùm de injuriis sibi illatis Protestantes sæpe questi essent, neque ulla emendationis spes daretur, tandem in id desperationis compulsi sunt, ut, ejectis per fenestram Consiliariis quibusdam,

Protestantium res passim imminutæ, præsertim in Bohemia.

Digitized by Google

busdam, qui præcipui injuriarum auctores censebantur, omissóque FERDINANDO, Bohemiæ Rege designatô, (qui non multò pòst ad Imperium, mortuô MATTHIA, evectus est) Palatinum Electorem FRIDERICUM sibi Regem constituerent, annô 1619. Sed hic victus ad Pragam VIII. Id. Nov. 1620. Palatinatu & septemvirali dignitate exutus, extra Germaniam se recipere atque errare coactus est. Sic Bohemis libertas adempta, sed non finis bello adlatus: quô, Cæsareis latè victoribus, libertatéque & Religione in extremum adductis periculum, GUSTAVUS ADOLPHUS, Suecorum Rex, divinâ Providentiâ excitatus est, qui res fessas erigeret, nutantíque Germaniæ opitularetur. Quod quidem mirâ celeritate & successu effectum dedit, receptâ statim Pomeraniâ, quam sui juris fecerat Cæsar; restitutis, qui é suis sedibus ejecti fuerant, Principibus; duplicíque partâ victoriâ,

Audax Bohemorum facinus.

FRIDERICUS Elect. Palat. in Regem Bohemiæ electus an. 1619.

Vincitur ad Pragam an. 1620.

Ditionibus & Electoratu spoliatur.

GUSTAVUS ADOLPHUS Sueciæ R. res Germaniæ restituit.

Digitized by Google

Pugna Lipsiensis an. 1631. Pugna ad Lutzen. an. 1632. in qua Gustavus R. occumbit. CHRISTINA Regina minorennis. Galli Suec. & Germ. fœderati. Pax Westphalica an. 1648. & 49. Bulla Innocentii X. contra hanc pacem. Protestantium securitas firmata.

toriâ, alterâ ad Lipsiam, VII. Septembr. an. 1631. alterâ anno sequente 1632. ad Lutzenam, quæ posterior acerbô simul & gloriosô tanti Herois obitu funestata est. Eô exstinctô, sub CHRISTINA minorenni, rerum summa ad *Oxenstiernum* Cancellarium delata, continuatúmque nihilo remissiùs bellum; Gallis sese in Suecorum & Germanorum Fœderatorum societatem adjungentibus, dum Cæsar atque Hispanus ex adversâ parte pugnarent. Cui bello, per annos triginta, variâ fortunâ gesto, *Pax Westphalica*, quam vocant, *Osnabrugæ* & *Monasterii* an. 1648. & 49. sancita, finem tandem imposuit. Qua quidem pace, ringente licèt, daâque Bullâ fulminante, *Innocentio X.* Pontifice, Protestantium securitati prospectum est; liberô ipsis, suis in ditionibus, non secùs ac superiori Sæculô, Religionis exercitiô; bonis, quæ Ecclesiæ antea fuerant, suo cuique Domino assertis: Qua in sanctione, & ii qui

qui Lutherani speciatim dicuntur, & ii qui Reformati, communi jure comprehensi sunt, eorum *controversiis, quæ hactenùs non fuerunt compositæ; ulteriori compositioni reservatis*, ut habent Pacta Osnaburgensia, Art. VII.

Lutherani & Reformati hac pace simul comprehensi.

Summa Capita

SECTIONIS V.

Tumultus in Britannia sub CAROLO I. *Rege. Eorum caussæ Civiles & Ecclesiasticæ. Pontificii, contra Leges, ad Munera promoti. Strages Hibernica, an.* 1641. *Comitis* Strafford. *& Archiep.* Laud *supplicium. Bellum Civile, ab anno* 1642. *Carolus I. Rex capite damnatus,* 30. *Januar.* 1649. Oliv. Cromwellus *Protector. Episcopatus & Cæremoniæ, abolita. Fœdus, dictum* Covenant. *Cromwelli potentia, & cura rei Protestantis.* Rich. Cromwellus,

wellus, Protector, sponte cedit. CAROLUS II. *Rex, restitutus an.* 1660. *Episcopatus restitutus; Presbyteriani vexati. Character Caroli II.*

SECTIO V.

De tumultibus Britannicis, sub CAROLO I. R. *& post eum.*

Tumultus in Britannia, sub CAROLO I. R.

Eorum caussæ, Civiles & Ecclesiasticæ.

TRistis admodum, per eadem tempora, Britanniæ facies fuit; fatali, Regem inter CAROLUM I. & subditos, flagrante bello. Caussæ motuum, *Ecclesiasticæ* partim, partim Civiles: Ecclesiasticæ; quòd Rex Hierarchiam & Cæremonias, ad suspicionem usque reducendi Papatûs, foveret; quarum rerum infensissimi hostes Puritani præsertim erant: Civiles, quòd tributorum imponendorum, militúmque pacis tempore conscribendorum, sibi jura adscriberet, quæ sibi propria contendebat Regni Senatus. His acce-

Digitized by Google

accedebat, quòd, Reginæ favore, quæ Pontificia erat, utpote Regis Galliæ soror, Pontificii invalescebant, & ad Munera aulica, civilia, militaria, adversùm Leges, provehebantur. Quæ omnia dum Anglos malè haberent, & à supremo Regni Senatu vividè exagitarentur, nuntius adfertur de horrendo facinore, ab Hibernis Pontificiis perpetrato; qui, sumptis armis, 23. Octobr. an. 1641. adversùs Anglos rebellârunt, & quadraginta Protestantium millia (sunt qui multò plures dicant) toto passim Regno trucidârunt. Spargebant illi, se Regis jussu arma sumpsisse; imò & diploma Regio sigillo munitum ostentabant. Quæ quanquam fide parùm digna videbantur, tamen dici non potest quantùm suspicionum ac irarum concitaverint. Certè, mutuis expostulationibus & criminationibus nullus finis erat. Comes Straffordiæ *Thomas Wentworth*, & Archiepiscopus Cantuariensis *Gulielmus Laud*, quòd

Pontificii ad Munera promoti.

Strages Hibernica, an. 1641.

Comitis Strafford. & Archiep. *Laud* supplicium.

Digitized by Google

regiorum consiliorum præcipui haberentur auctores, in jus vocati, & supplicio adfecti. Cùm verò Arcium custodiam, cæterámque Regni administrationem, utraque pars ad se traheret, hinc apertum, Regem inter & supremam Regni Curiam, exarsit bellum, quô, per sex annos & ampliùs, incensa Britannia est; hoc exitu, planè stupendo, & documentorum moralium feracissimo, quòd Rex captivus, atque à Judicibus in id constitutis damnatus, securi percussus sit, 30. Januar. 1649. *Sic occiso Rege, rerum summa Olivario Cromwello*, Protectoris titulo, delata est: Episcopali ordine, Liturgia, & Cæremoniis, valere jussis; Ecclesiisque ritu Presbyteriano administratis: Quem se ritum retenturos atque defensuros, passim, per Angliam atque Scotiam, solemni fœdere ac juramento se obstringebant; Anglicè *Covenant* dixêre; quod jam anno 1643. in Cœtu Theologorum Westmonasterii habito,

Bellum Civile ab an. 1642.

Carolus I. Rex capite damnatus, 30. Januar. 1649.

Oliv. Cromwellus Protector.

Episcopatus & Cæremoniæ, abolita.

Fœdus, dictum *Covenant*.

Digitized by Google

to, ſancitum fuerat. Floruit Britannia, Cromwelli auſpiciis, cujus vel ipſum nomen, cùm extra, tum intra Britanniam, terrori erat; quíque exteris Proteſtantium Eccleſiis, haud inefficacem, quâvis datâ occaſione, opem ferebat. Eô mortuô, ſub finem anni 1658. cùm *Richardus* filius, qui ei ſubrogatus fuerat, tanto ſe oneri imparem ſentiret, dominatu ſponte ceſſit: Quæ res revocando non multò pòſt, ac in integrum reſtituendo CAROLO II. Regi, viam munivit. Factum id annô 1660. Ab hoc, non Epiſcopatus modò reſtitutus, ſed & Presbyteriani non raró vexati; quibus tamen patrocinium, initio Regni, promiſerat. Fuit is libidinis ſervus, ſacra ſúſque déque habens, Proteſtantis ſpeciem præ ſe ferens, ut ſecuriùs regnaret, ſed in extremis, ut quidem ferunt, Pontificio ritu rem divinam fecit. Quæ ſacra quàm damnoſa fuerint ejus fratri & ſucceſſori *Jacobo II.*, ſuo loco à nobis narrabitur.

Cromwelli potentia, & cura rei Proteſtantis.

Richardus Cromwell. Protector, ſponte cedit.

CAROLUS II. Rex reſtitutus an. 1660.

Epiſcopatus reſtitutus; Presbyteriani vexati.

Character Caroli II.

Digitized by Google

Summa Capita
SECTIONIS VI.

De Janſeniſmo. Corn. Janſenius *Episc. Yprenſis. Ejus liber, dictus* Auguſtinus. *Aula Gallica in Janſenium malè adfecta.* Iſ. Habertus *ſcribit contra librum Janſenii.* Ant. Arnaldus *Janſenium defendit. Doctrina Janſenii damnata ab* Urbano VIII. *Pontif. an.* 1643. *defenſa à Lovanienſibus & Duacenſibus. Quinque Propoſitiones Janſenii. Bulla* Innocentii X. *adversùs* 5. *Propoſitiones* Janſenii; In Gallia *promulgatur.* Juris & Facti *diſtinctio. Literæ Innocentii X. quibus edicit propoſitiones damnatas re ipſâ Janſenii doctrinam eſſe. Formula in Gallia inſtituta an.* 1655. *adv. Facti & Juris diſtinctionem.* Ant. Arnaldus *é Sorbona ejectus. Literæ Provinciales à* Paſcalio *ſcriptæ; à* Nicolio *notis illuſtratæ. Bulla* Alexandri

Digitized by Google

dri VII. *P. adv. propositiones Jansenii. Papæ, imò & Ecclesiæ ipsius, infallibilitatem* in rebus facti *negant Jansenistæ; eam tuentur Jesuitæ. Formula ab Alexandro VII. imperata, an.* 1665. *Variè à variis subscribitur. Quatuor Episcopi*, Alet. Apam. Bellov. Andeg. *Facti & Juris distinctionem tuentur.* Clemens IX. *P. Pacificatio dissidiorum, Literis Papæ, & Edicto Regio, an.* 1668. *Arnaldi fata.* Innocentius XI. *Jesuitis adversus, & Jansenistis favere existimatus. Bullæ* Innocentii XII. *adv. Jansenismum, an.* 1694. *Judicium de his Controversiis. Multi, cùm é Jesuitis, tum é Jansenistis, de re literaria optimè meriti.*

SECTIO IV.

De Jansenismo.

MUltas de Gratia disceptationes in Ecclesia Romana fuisse, De Jansenismo.

se, cùm aliàs non semel, tum hoc ipso ineunte Sæculo, suprà jam recensuimus. Recruduerunt hæ lites, & majore quàm unquam antea fervore agitatæ sunt, occasione *Jansenismi*, quem vocant; cujus proinde historia breviter hîc adtexenda est.

Corn. Jansenius Episc. Yprensis.

Scripserat *Cornelius Jansenius*, Episcopus Yprensis, Librum cui titulum *Augustino* fecerat; qui nonnisi post auctoris fata, an. 1639. in lucem prodiit.

Ejus Liber dictus *Augustinus*.

In eo Augustini dogmata exposita magno studio atque defensa, imò pleniùs atque erudiùs, quàm à Thomistis, cæterísque Augustini discipulis, fieri soleret. Quæ notiones cùm multis exosæ essent, ipséque auctor, ob *Martem Gallicum* (quo libro Hispanorum caussam adversùs Gallos egerat) *Aulæ* Gallicæ parùm acceptus, hinc magnus factus est, in Gallia præsertim, deinde etiam Romæ, adversùs posthumum hunc Jansenii fœtum, impetus.

Aula Gallica in Jansenium malè adfecta.

Is. Habertus scribit contra librum Jansenii.

In Gallia quidem, *Isaacus Habertus*, postmodùm Vabrincensis Epis-

Episcopus, primùm concionibus, deinde & scriptis, Jansenii librum impugnavit: Cujus defensionem, unâ atque alterâ Apologiâ, suscepit *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, Vir maximæ, cùm ob hoc dissidium, tum ob alia benè multa, celebritatis. Romæ verò, examini subjectus, jubente *Urbano VIII.* Pontifice, ac damnatus, Jansenii liber fuit; quòd propositiones quasdam *Michaëlis Baïi*, à Pio V. & Gregorio XIII. Pontificibus damnatas, renovare diceretur; frustrà obnitentibus *Lovaniensibus* Doctoribus, (quibus & *Duacenses* accessêre) qui, missâ Romam legatione, Jansenianæ caussæ patrocinabantur. Augescente indies tumultu, quinque famosæ Propositiones é Jansenii libro excerptæ sunt, Romámque ab ejus Adversariis transmissæ, anno 1650., ut à Pontifice, qui tum erat *Innocentius X.* solemni censura notarentur: Cui damnationi, ex altera parte, Galli Præsules non pau-

Ant. Arnaldus, Jansenium defendit.

Doctrina Jansenii damnata ab *Urbano VIII.* Pont. an. 1643.

Defensa à Lovaniensibus & Duacensibus.

Digitized by Google

Quinque Propositiones Jansenii.

ci obsistebant. Propositiones hæ fuerunt. *I. Aliqua Dei præcepta, hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, impossibilia esse. II. Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resisti. III. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiri in homine libertatem à necessitate, sed sufficere libertatem à coactione. IV. Semipelagianos admisisse prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc fuisse hæreticos, quòd vellent eam Gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. V. Semipelagianum esse dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuisse, & sanguinem fudisse.* Acta caussa hæc magno studio Romæ, ab utriusque partis Delegatis, qui Pontificem atque Consultores, nulla non arte, ad se trahere nitebantur. Tandémque Pontifex, qui fatebatur *Lucæ Holstenio*, se quæstiones

tiones illas non intelligere, datâ Bullâ 13. Mai. 1653. supradictas Propositiones damnavit: Quæ Bulla in Galliam transmissa, jubente Rege toto Regno promulgata est. Et hoc quidem tempore, celebris illa *Juris* & *Facti* distinctio à Jansenii discipulis usurpari cœpit. Cùm enim Bullæ Pontificiæ contradicere haud tutum esset, dixerunt, eas quidem Propositiones, quæ damnatæ fuerant, eo sensu quem intendebat Pontifex, re verâ damnandas fuisse; sed hunc non fuisse Jansenii sensum, adeóque Jansenii doctrinam haudquaquam damnatam esse. Quo effugio ne elabi possent, à Pontifice contenderunt ipsorum Adversarii, ut damnatas Propositiones re ipsâ Jansenii doctrinam esse, apertè ediceret: Quod quidem fecit, datis Literis 29. Septembris 1654.; quæ & Regia declaratione in Gallia confirmatæ sunt. Quinimò conscripta, anno sequenti, à quibusdam Galliæ Episcopis Jansenismo adversantibus,

Bulla *Innocentii* X. adv. 5. Propositiones Jansenii. In Gallia promulgatur.

Juris & *Facti* distinctio.

Literæ Innoc. X. quibus, doctrinam damnatam esse Jansenii doctrinam, edicit.

Formula in Gallia instituta an. 1655. adv. Facti & Juris distinctionem.

Formula, quâ quinque Propositiones é Jansenii libro excerptæ, juxta duplicem Innocentii definitionem, atro carbone notatæ sunt. Nutanti Jansenii caussæ frustrà suppetias tulit *Arnaldus*, non unô Scriptô hanc in rem emissô; quæ à Sorbonistis damnata, ipséque ab eorum societate ejectus est. Scripta adversaria utriusque partis benè multa hîc non moramur: Sed omittendæ non sunt ingeniosissimæ illæ, & Attico sale refertissimæ, *Provinciales Literæ*, auctore *Blasio Pascalio*, qui sub ementito *Ludovici Montaltii* nomine sese abdidit. *Dici non potest*, quanta elegantia, quantóque acumine, Jansenistarum caussam agat, eorúmque Adversarios ridendos propinet, personatus ille Montaltius; qui & corruptissimas Jesuitarum de rebus moralibus hypotheses, in lucem profert atque exagitat: Eas literas postmodùm, alter é Jansenii familia haud ignobilis Scriptor *Nicolius*, sub *Wendrokii* adpellatione, notis auxit

Ant. Arnaldus é Sorbona ejectus.

Literæ Provinciales. à Pascalio scriptæ,

à Nicolio notis illustratæ.

Digitized by Google

auxit atque illustravit. Interim confirmatur ab *Alexandro VII.* Pontifice, quinque Jansenii Propositionum damnatio, & quidem *in sensu à Jansenio intento*, datâ Bullâ 16. Octobris 1656. Quæ fuit caussa, cur subscriptio Formulæ superiùs memoratæ, à plerisque Galliæ Episcopis, rigidè imperaretur; ipsis etiam Monialibus ad hanc subscriptionem adactis; dum interim Jansenistæ, pro *Juris* & *Facti* distinctione, militare haud desisterent. Qúmque ipsis opponeretur Pontificis auctoritas, Pontificem, imò verò & ipsam Ecclesiam, *in rebus facti* errare posse adfirmabant: Contrà Jesuitæ, promulgatis Thesibus, in Collegio suo Claromontano, Papæ infallibilitatem, etiam *in rebus facti*, tuebantur; quæ quidem Theses, ab Universitate Parisiensi, & suprema Regni Curia, damnatæ sunt. Porrò, ut major in Gallia esset suprà dictæ Formulæ auctoritas, ejus verba novæ Bullæ inseruit Papa, datæ 15. Febr.

Bulla *Alexandri VII.* P. adv. Propositiones Jansenii.

Papæ infallibilitatem *in rebus facti*, negant Jansenistæ;

eam tuentur Jesuitæ.

Formula ab Alex. VII. imperata, an. 1665.

Febr. an. 1665. quâ *quinque Propositiones, é Jansenii libro excerptæ, in ipso sensu Auctoris, damnantur:* Cui Bullæ, Regio Edicto munitæ, non tamen omnes Episcopi pari modo subscripsêre, nec subscribendam præscripsêre: Nam alii quidem, nullâ adpositâ distinctione, subscribi volebant; alii quasdam proferri à subscribentibus exceptiones patiebantur; alii denique, doctrinam quidem fide amplectendam, factum verò nonnisi silentio & reverentia prosequendum, apertè insinuabant; quorum in numero quatuor *Episcopi* præsertim fuêre, *Aletensis, Apamiensis, Bellovacensis,* & *Andegavensis*, qui ea de caussa in Curiæ Romanæ, ipsiusque etiam Aulæ Gallicæ, odium incurrerunt. Hæc inter, mortuo Alexandro Papa, an. 1667. in ejus locum successit *Clemens IX.*: Quo sedente, mitigati quodammodo, hanc in materiam, animi fuêre; Quatuor Episcopi, mediatore Senonensi Archiepiscopo, cum aliis qui-

Variè à variis subscribitur.

Quatuor Episcopi, *Alet. Apam. Bello.* & *Andeg.* Facti & Juris distinctionem tuentur.

Clemens IX. P.

Pacificatio dissidiorum.

Digitized by Google

quibusdam Episcopis, Papæ simul & Regi Galliæ reconciliati sunt; Papa, datis ad Regem literis, 28. Sept. 1668. sibi satisfactum testatus est; Rex, promulgato Edicto, 18. Octobris, præteritorum dissidiorum oblivionem imperavit, vetuítque ne alii alios, odiosis *hæreticorum*, *Jansenistarum*, *Pelagianorum*, similibúsque adpellationibus, traducerent atque infamarent. *Arnaldus* ipse, factionis caput, in gratiam utcumque rediit; non tamen ad longum tempus; siquidem Aulæ semper suspectus, Regno cedere, & in Belgio Hispanico, ad mortem usque, quæ an. 1695. accidit, latitare coactus est. Mutua interim, inter Jansenistas, eórumque adversarios, non destiterunt odia, Scriptísque aculeatis sese subinde demonstrârunt. *Innocentius XI.* à Jesuitis aversus, quorum & periculosa de rebus moralibus placita damnavit an. 1679. haud alieno à Jansenistis animo fuisse existimatus est. Sed *Innocentius* *XII.*

Literis Papæ, & Edicto regio, an. 1668.

Arnaldi fata.

Innocentius XI. Jesuitis adversus, & Jansenistis favere existimatus.

Bullæ Innocentii XII. adv. Jansenismum, an. 1694.

XII. datis, sive ad Theologos Lovanienses, sive ad Episcopos Flandriæ, Bullis, superiorum Pontificum, his de quæstionibus, Constitutiones confirmavit, Formulæque Alexandri VII. subscriptionem denuò *injunxit*; *ita ut* Jansenii Propositiones, *in sensu obvio, quem ipsamet verba præ se ferunt*, damnarentur. Verùm ne sic quidem pugnæ sopitæ sunt, prout ad Sæculum sequens videbimus. Interim, si animi sensa, de toto hoc negotio, liberè proloqui liceat, hîc certè, *si alibi uspiam, parùm fidei atque candoris, multùm privatorum adfectuum*, ab utraque parte fuisse videtur. Nam, qui Jansenistas adeò acriter tanquam hæreticos insectabantur, ipsam simul *D. Augustini* & *D. Thomæ* sententiam impugnabant; quos tamen Doctores se magni facere atque revereri, nonnulli & cum iis sentire, existimari volebant. Vicissim illa *Juris* & *Facti* distinctio, quid aliud nisi merum

Judicium de his Controversiis.

Jan-

Jansenistarum effugium erat, quo, retentâ verâ ac genuinâ Jansenii doctrinâ, alienum nescio quem sensum damnatis Propositionibus adfingebant, ut eas in sensu illo damnare, sicque Romanæ Curiæ anathemata declinare possent. His accedebant iniquissimæ Jansenistarum adversùs Calvinistas invectivæ, cùm tamen, ad rei summam quod adtinet, eadem fermè sit Jansenistarum & rigidiorum Calvinistarum sententia. Cæterùm, præclara multa ac utilissima, de studiis Literarum, imò verò & de rebus sacris, cùm à Jesuitis quibusdam, tum à Jansenistis, seu é *Portu-regio* Scriptoribus, edita esse, iniquissimo sit animo, vel in historia Literaria planè hospes, qui non fateatur.

Multi, cùm é Jesuitis, tum é Jansenistis, de re literaria optimè meriti.

Sum-

Summa Capita

SECTIONIS VII.

Protestantes *à Pontificiis passim vexati; in Bohemia, Hungaria, Silesia, Transsylvania, &c. Galli Protestantes sub* Henrico IV. *tuti.* Ludovicus XIII. *eos vexare incipit. Rupella obsessa an.* 1628. *Sub* Ludovico XIV. *adtriti paulatim Reformati. Edicti Nannetensis revocatio, an. 1685. Reformati ad Sacra Pontificia compulsi.* Plurimi Religionis *caussâ profugi. Pedemontani Valdenses vexati. Eorum strages an.* 1655. *Malè habiti & ejecti, an.* 1686. *&* 87. *Revocati in patriam, an.* 1690.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO VII.

De vexatis, per varias oras, Proteſtantibus.

IMminutæ, totô hôc Sæculo, non una in parte, Proteſtantium res, in id incumbente Aulâ Pontificiâ, ut, quod rationibus non poterat, Edictis Principum, promiſſis, minis, carceribus, exſiliis, imò cædibus ac lanienis, obtineret. In *Bohemia*, victô Palatinô, & FERDINANDÔ rerum potitô, ablata penitùs Religionis libertas eſt. In *Hungaria*, *Sileſia*, *Tranſſylvania*, &c. vexati non ſemel, nec uno modo, Proteſtantes; quæ fuit etiam non rarò Politicorum motuum cauſſa. *Gallis* Reformatis, per Nannetenſe Edictum, fine Sæculi ſuperioris conceſſum, abundè cautum videbatur. Neque verò, ſuperſtite HENRICO IV. Edicti illius auctore, quidquam iis mali contigit. Sed ſub LUDOVICO XIII. cap-

Proteſtantes à Pontificiis paſſim vexati;

in *Bohemia*; *Hungaria*. *Sileſia*, *Tranſſylv.* &c.

Galli Proteſtantes ſub *Henrico IV.* tuti.

Ludovicus XIII. eos vexare incipit.

capto à Benearnia initiô, anno 1620. suis privilegiis ac munimentis exui cœpêre; præcipuumquè ipsorum propugnaculum *Rupella*, anno 1628. non sine operosa obsidione capta est. Sub LUDOVICO XIV. etsi insignia non semel dederant, in *procellis civilibus*, constantissimæ in Regem fidei specimina, quod & non una declaratione Princeps ille testatum dedit, attamen adtriti ac debilitati innumeris Edictis fuêre: Donec tandem Octobri mense an. 1685. Nannetense Edictum, *perpetuum* licèt ac *irrevocabile*, revocatum sit. *Ergo eversa toto Regno* Templa, imò & immissi per domos Dimachi, qui invitos atque reluctantes ad Sacra Pontificia compellerent; ablatâ interim, in fide perstantibus, é Regno exeundi veniâ; iisque qui in fuga deprehenderentur, fœtido carceri inclusis, aut ad triremes aliáve supplicia damnatis. Quod tamen non obstitit, quominùs plura eorum centena millia, relictâ patriâ, co-

Rupella obsessa an. 1628.

Sub *Ludovico XIV.* adtriti paulatim Reformati.

Edicti Nannetens. revocatio, an. 1685.

Reformati ad Sacra Pontificia compulsi.

Plurimi Religionis caussâ profugi.

cognatis, commodis, fortunísque omnibus, non ſine maximis periculis evaſerint, novásque ſibi, in Britannia, Belgio, Germania, Helvetia, ſedes quæſiverint; ubi, ab ejuſdem conſortibus fidei, fraternè, ut par erat, excepti ſunt. Sed & Gallorum vicini, *Pedemontanarum Vallium* incolæ, miſerum in modum non ſemel vexati ſunt; tum anno 1655. quô horrenda eorum ſtrages viſa eſt; tum annis 1686. & 1687. quibus, longo adtriti bello, plurimíſque defuncti ærumnis, é patria ejecti, ſed in eam, triennio pòſt, Principis Edicto, revocati ſunt.

Pedemontani Valdenſes vexati.

Eorum ſtrages an. 1655.

Malè habiti & ejecti, an. 1686. & 87.

Revocati an. 1690.

Summa Capita

SECTIONIS VIII.

Novi tumultus in Britannia, ſub JACOBO II. *Rege. Papatum inducere nititur, & Leges Regni violat. Suſpiciones de puero, qui Regi*

Dd 2 *natus*

natus dicebatur. Gulielmus, *Arausionensis Princeps, in auxilium à Britannis vocatus. Jacobus in Galliam fugit, & Regnum abdicat.* GULIELMUS & MARIA, *Magn. Brit. Rex & Regina. Presbyterianismus in Anglia toleratus, in Scotia publicè institutus. Præsules eximii Anglicanam Ecclesiam illustrant. Mariæ Reg. obitus, an.* 1694. *Gulielmus Fœderatorum dux contra Gallos. Pax Rysvicensis, an.* 1697. *Mors Gulielmi R. an.* 1702.

SECTIO VIII.

De tumultibus Britannicis *sub* JACOBO II. *in cujus locum suffecti* GULIELMUS *&* MARIA.

Novi tumultus in Britannia, sub JACOBO II. R.

NOva tragœdia, malè sano itidem Pontificiorum zelo, in Britannia acta est; ubi, defunctò absque liberis CAROLO II. Rege, an. 1685. JACOBUS II. frater in ejus locum successit. Is, Pontificiam Religio-

ligionem profiteri haud contentus, eandem variis artibus propagare nitebatur; ſpretis Legibus, quibus Pontificii muneribus, cùm civilibus, tum militaribus, excluſi erant; Britannicíque populi privilegiis non una parte imminutis. Quibus gravaminibus & hoc quoque acceſſit, quòd, enixâ puerum Reginâ, (ſed non ſine fraudis ſuſpicione) non in præſens modò, ſed & in futurum, & Libertati, & Religioni, metuendum videretur. Ergo maxima, toto paſſim Regno, animorum commotio facta eſt, vocatúſque in auxilium *Gulielmus*, Arauſionenſis Princeps, *Mariæ* Jacobi filiæ natu majoris maritus; Quô in Britanniam, cum Batavorum copiis, advectô, Jacobi copiæ ad eum deficiunt, ipſéque Jacobus ſibi metuens in Galliam trajicit, vacuúmque relinquit ſolium. Gulielmus & Maria, Britanniæ Liberatores, Rex & Regina ſalutantur. Reſtituta, iis regnantibus, Jura omnia, quæ à Jacobo vio-

Papatum inducere nititur, & Leges Regni violat.

Suſpiciones de puero, qui Regi natus dicebatur.

Gulielmus Arauſio. Princeps in auxilium à Britannis vocatus.

Jacobus in Galliam fugit, Regnúmque abdicat.

Gulielmus & Maria Mag. Brit. Rex & Regina.

violata, vel in discrimen adducta fuerant. Tentata & Episcopalium cum Presbyterianis, sed absque successu, concordia. Mitissimè tamen cum Presbyterianis actum; qui, in Anglia quidem, ampla donati tolerantia; in Scotia verò, quòd maxima Gentis pars eam in partem propenderet, Presbyterianismus in ritûs publici formam abiit. Nunquam tot eximii, cùm doctrina, tum pietate, Anglicanæ Ecclesiæ Præsules fuerunt; *Johannes Tillotsonius*, Cantuariensis, *Johannes Scharpius*, Eboracensis, ambo Theologi eximii, & *in arte concionandi* principes, *Gilbertus Burnetus*, Sarisburiensis, incomparabili Reformationis Anglicanæ historia notissimus, *Gulielmus Lloyd*, Asaphensis primùm, dein Lichfeldiensis, demùm Vigorniensis, Chronologiæ atque Historiæ peritissimus, *Edwardus Stillingfleet*, Vigorniensis, in Controversiis tractandis eruditissimus ac solertissimus, *Simon Patrick*, Eliensis, multis in Scrip-

Presbyterianismus, in Anglia toleratus, in Scotia publicè institutus.

Præsules eximii Anglicanam Ecclesiam illustrant.

Scripturam Commentariis, aliisque operibus clarus; *Thomas Tenison*, & *Gulielmus Wake*, qui ambo, post Tillotsonium, ad Cantuariensem Sedem promoti sunt: Quorum omnium, ut & aliorum hujus temporis Theologorum, Scripta eximia, nostrísque laudibus majora, Religionem mirè illustrârunt ac defenderunt. Horum temporum felicitatem, amplioréſque de futuro spes, *Mariæ* Reginæ óbitus turbavit; cujus raræ tanto in fastigio virtutes, pietas, castitas, modestia, bonitas, animus ad benefaciendum propensissimus, sed quæ, terris tantùm ostensa, in ipso ætatis flore occubuit, an. 1694. Ei superstes *Gulielmus*, exquisitæ itidem prudentiæ Princeps, adscitis in fœdus plerisque Europæ Magnatibus, bellum cum Gallis haud infeliciter gessit, ab iisque tandem, Pace Rysvicensi, an. 1697. pro Rege Angliæ est agnitus. Sed & ipse brevis ævi fuit, an. 1702. ætatis 51. regni 13. terris ereptus.

Mariæ Reg. obitus an. 1694.

Gulielmus Fœderatorum Dux, contra Gallos

Pax Rysvicensis, an. 1697.

Mors Gulielmi R. an. 1702.

Digitized by Google

Summa Capita
SECTIONIS IX.

De Quietismo. Michaël Molinos, *Hispanus Presbyter. Ejus doctrina. Liber ejus, cui titulus,* Dux spiritualis; *ab Inquisitione damnatus, an.* 1685. *Propositiones* 68. *damnatæ ab* Innocentio XI. *P. Moritur Molinos an.* 1692. *Quietistæ; Monachus* La Combe. *Matrona* Guyon. Fenelo *Archiep. Cameracensis. Ejus liber,* Expositio doctrinæ Sanctorum. *Damnatur ab* Innocentio XII. *P. Cameracensis damnationi se submittit.*

SECTIO IX.

De *Quietismo.*

De Quietismo. *Mich. Molinos* Hisp. Presbyter.

INclinante Sæculo, *Michaël Molinos,* Hispanus Presbyter, haud ignobili inter Pontificios Sectæ ortum

tum dedit, quæ, ab animi quiete quam adfectat, *Quietistarum* nomen sortita est. Summa doctrinæ hæc esse dicitur: »Statum hominis Christiani perfectum merè passivum esse; »nullam voluntatem, nullum motum, ei superesse; de pœna vel »præmio, de salute vel damnatione, »planè indifferentem esse; in eo statu peccari non posse; in eo etiam »statu, Cultu externo opus non esse; Sacramenta, preces, bona opera, supervacanea esse; quicquid »agatur, perinde esse; Deo nos permittendos, ut, quidquid voluerit, »in nobis agat; eúmque *amore puro*, »hoc est, ab omni commodi respectu semoto, diligendum esse.» Doctrinam hanc, libro Hispanico, *Duce Spirituali* dicto, insinuaverat Molinos, eandémque in colloquiis spargebat. Quæ caussa fuit, cur ad Inquisitionem delatus, an. 1685. ad palinodiam & perpetuum carcerem damnatus sit. Damnavit & doctrinam ejus, 68. propositionibus compre-

Ejus doctrina.

Liber ejus, *Dux spiritualis*, dictus.

Ab Inquisitione damnatus an. 1685. 68. Propos. Molin.

Digitized by Google

damnatæ ab *Innoc.* XI. P.
Moritur Molinos an. 1692.
Quietistæ; *La Combe*, matrona *Guyon*.
Fenelo Arch. Cameracensis.
Ejus liber, *Expos. doctrinæ Sanctorum &c.*

prehensam, *Innocentius XI.* Papa, an. 1687. ipséque Molinos, an. 1692. in carcere vitam finiit. Verùm sectatores, tum in Italia atque Hispania, tum in ipsa etiam Gallia, doctrina illa non paucos habuit, intérque alios Monachum *La Combe*, é Barnabitarum familia, nec non & matronam *Guyonam* nomine; quorum libri, dogmatibus illis referti, ab Archiepiscopo Parisiensi, Episcopísque Meldensi & Carnotensi damnati sunt an. 1694. & 95. Biennio pòst, *Franciscus Fenelo*, Cameracensis Archiepiscopus, librum edidit, quem *Expositionem doctrinæ Sanctorum de vita interiore*, inscripsit. Quo cùm contineri viderentur non pauca supradictæ Quietistarum doctrinæ adfinia, putà de *Amore puro*, ab omni ad metum, spem, desiderium, pœnam, præmium, respectu libero, ab iisdem Præsulibus doctrina illa publicè damnata est. Quinimò & negotium illud Romam delatum, libérque ille Cameracensis Archiepis-

piſcopi à Pontifice *Innocentio XII.* damnatus, an. 1699. Quæ damnatio, regio munita diplomate in Gallia admiſſa eſt; eique Cameracenſis ipſe, nullâ morâ, nullâ reluctantiâ, ſeſe ſubmiſit. Damnatur ab *Innocentio* XII. P. Cameracenſis ſe ſubmittit.

Summa Capita

SECTIONIS X.

Diſſidia Eccleſiaſtica inter Gallos & Curiam Romanam. Concilium Tridentinum non admiſſum in Gallia. Libri quidam de Papæ poteſtate damnati in Gallia. Diſſidium cum Alexandro VII. *& cum* Innocentio XI. *Conventus Cleri Gallicani an.* 1682. *Ejus declaratio de Poteſtate Eccleſiaſtica; Edicto Regio confirmata. Iraſcitur Innocentius XI. & Epiſcopis Bullas denegat. Sub* Innocentio XII. *lis illa componitur, an.* 1692.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO X.

De dissidiis Ecclesiasticis inter Gallos *&* Curiam Romanam.

Dissidia Ecclesiastica inter Gallos & Curiam Romanam.

INter domesticas Pontificiorum lites, prætermittenda non sunt crebra illa Gallorum cum Curia Romana dissidia, de capitibus momentosissimis, in quibus Civilis Societatis, non minùs quàm Religionis, cardo vertitur. Quamvis enim Romani Pontificis auctoritatem agnoscant Galli, eam tamen *limitibus non paucis circumscribunt; easque* quas vocant Gallicanæ Ecclesiæ Libertates, sartas tectas servari volunt. Quæ caussa fuit, cur, non obstantibus Curiæ Romanæ conatibus, Concilium Tridentinum, ad res Disciplinæ quod adtinet, in Gallia admissum non sit. Eapropter etiam Libri non pauci, quibus Pontificia auctoritas in immensum extollebatur, & supra Regiam collocabatur, dato

Concilium Trident. non admissum in Gallia.

Libri quidam de Papæ potestate dam-

Digitized by Google

dato Romanis Pontificibus exauctorandorum Regum, subditorúmque à jurata fide absolvendorum jure, (qualis fuit *Bellarmini* liber *de potestate summi Pontificis*, item *Marianæ* de *Regis institutione*, nec non & *Santarelli*, *Vernantii*, aliorúmque, propositiones), cùm à Parisiensi Universitate, tum à Suprema Regni Curia, damnati ac proscripti sunt. Neque mirum id cavisse Gallos, cùm funestissimos doctrinæ illius Ultramontanæ effectus, in exsecranda Henrici III. & Henrici IV. nece sensissent. His accesserunt vivida quædam Aulæ Gallicæ cum Pontificibus dissidia; putà cum *Alexandro VII.* de negotio Corsorum, quâ occasione herbam portigere, & solemni missâ in Galliam legatione sese excusare Pontifex ille necesse habuit; deinde & cum *Innocentio XI.* de jure *Regaliæ*, quod vocant, déque immunitatibus Palatii Oratoris Gallici Romæ. Et hoc quidem tempore conscripta est celebris

nati in Gallia.

Dissidium cum *Alexandro* VII.

& cum *Innocentio* XI.

Conventus Cleri Gallici, an. 1682. ejusque Declaratio de Potest. Eccles.

lebris illa Cleri Gallicani, de Potestate Ecclesiastica, declaratio, quatuor capitibus comprehensa: » 1. »Potestatem Ecclesiæ ad temporalia »non extendi; Reges & Principes »in temporalibus nulli Potestati Ec»clesiasticæ subjici; neque deponi »à quoquam, neque Subditos eorum »à præstito fidei sacramento solvi »posse. 2. valere debere Concilii »Constantiensis decreta, de aucto»ritate Conciliorum Generalium, »quæ Sessione quartâ & quintâ con»tinentur. 3. usum Potestatis Apos»tolicæ (sic *Pontificiam* nominant) »per *Canones Conciliorum*, & Li»bertates Ecclesiæ Gallicanæ mode»randum esse. 4. Romani Pontifi»cis judicium non esse irreformabile. Talis fuit Cleri Gallicani de Potestate Ecclesiastica declaratio, 19. Mart. 1682. Quæ & Edicto Regio confirmata est, omnésque Regni Scholæ ac Universitates juxta principia illa docere jussæ. Exarsit ad hæc Pontifex; Præsulésque qui his sub-

Edicto Regio confirmata.

Irascitur Innoc. XI. & Episco-

ſubſcripſerant, ſi qui ad Epiſcopatus nominati à Rege eſſent, datis Bullis confirmare noluit. Nec deſierunt diſſidia illa, quamdiu vixit Innocentius XI. Sed mortuô illô an. 1689. electóque in ejus locum *Alexandrô VIII.* deferveſcere lis illa cœpit, ſub ejus ſucceſſore *Innocentio XII.* an. 1692. demùm compoſita. Literis ad hunc Pontificem datis, profeſſi ſunt Gallicani Præſules, „ſe de geſtis in Comitiis il„lis vehementer dolere, & quid„quid in præjudicium Pontificiæ auc„toritatis cenſeri potuit, pro infec„to haberi velle.„ Pontifex viciſſim Epiſcopis Bullas conceſſit, iiſque reconciliatus eſt.

pis Bullas denegat.

Sub InnocentioXII. lis illa componitur an. 1692.

Summa Capita

SECTIONIS XI.

Concordia Proteſtantium promota. Colloquium Lipſienſe, an. 1631. *Sy-*

nodus

nodus Carentoniensis, *an.* 1631. *Colloquium Cassellanum*, *an.* 1661. Johannis Duræi *labores & itinera.* Georgius Calixtus, *Theologus pacificus inter Lutheranos.* *Generalis Reformatorum ad Concordiam propensio.*

SECTIO XI.

Acta ad Concordiam Protestantium *spectantia.*

Concordia Protestantium promota.

Componendis Protestantium dissidiis, non unus hôc *Sæculô* Conventus *habitus est*; velut Colloquium Lipsiense, annô 1631. inter Theologos Saxonicos ab una parte, Brandenburgicos & Hassiacos ab altera: Quô eôdem annô, Galli Reformati, in *Carentoniensi* Synodo, Lutheranos pacificos in Communionem admittendos sancivêre. Habitum &, triginta pòst annis, Colloquium *Cassellanum*, an. 1661. sub auspiciis Serenissimi Hassiæ Landgravii

Colloq. Lipsiense, an. 1631.

Synod. Carentoniensis an. 1631.

Colloq. Cassell. an. 1661.

gravii *Wilhelmi VI.* inter Marpurgenses & Rintelenses Theologos. Ad conciliandas partes, incredibili zelo ac diligentia, Aulas, Ecclesias, Academias omnes lustravit *Johannes Duræus*, Theologus Scoto-Britannus, qui & bene multa Principum & Theologorum Judicia, Concordiæ faventia, obtinuit, & in publicam lucem emisit. Inter pacificos Lutheranæ partis Theologos eminuit *Georgius Calixtus*, Theologus Helmstadiensis, ea de caussa rigidiorum odia expertus. Apud Reformatos unanimis ad Concordiam propensio fuit; tótque Libri hanc in rem editi, ut eos recensere non liceat.

Joh. Duræi labores & itinera.

Georg. Calixtus Theolog. pacificus inter Luther.

Reformatorum ad Concordiam propensio.

Summa Capita

SECTIONIS XII.

De Ecclesia Græca Sæculi XVII. Quinque Patriarchatus. Sub Turcis

Digitized by Google

cis, Græci miseri, & parùm tuti. Patriarcharum fata. De Cyrillo Lucario. *Ejus iter in Poloniam. Fit Patriarcha Alexandrinus; deinde Constantinopolitanus.* Cornelius Haga, *Legatus Belgicus;* Antonius Legerus, *ei à Sacris. Cyrilli Confessio. Varia Cyrilli fata. Ejus mors an.* 1638. Cyrillus Berrhoensis *Patriarc. Constant. Cyrilli Lucarii Confessionem damnat. Damnata & à* Parthenio *Patr. Const. Disputatio de fide Græcorum circa Eucharistiam, inter* Arnaldum *&* Claudium. *Concilium Hierosolym. an.* 1672. *Græcorum hodiernorum suffragia non magni ponderis.*

SECTIO XII.

De Ecclesia Græca.

De Ecclesia Græca.

NIhilo melior, hac ætate, Ecclesiæ Græcæ status, quàm superiore, fuit. Quinque iis Patriarchatus, quorum literæ initiales voce

Digitized by Google

voce ΚΑΡΑΙ comprehensæ, *Constantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Ruthenus*, *Antiochenus*, & *Jerosolymitanus*; omnes, Ruthenô exceptô, sub Turcarum dominatu, pretióque Sacrorum libertatem coacti redimere. Patriarchæ vix unquam tranquilli; perpetuis, sive Turcarum, sive suorum, contumeliis obnoxii; pulsi é suis Sedibus, in Insulas relegati, imò se invicem, fœdissimum in modum, non raró expellentes; multi quinetiam laqueo aut veneno interempti: Quorum omnium, eâ ætate quam nunc describimus, creberrima occurrunt exempla. Unus é præcipuis ac laudatissimis Græcorum Antistitibus (quidquid in contrarium blaterent Papicolæ) fuit *Cyrillus Lucarius*, de cujus doctrina & fatis aliquid hîc adscribendum est. Natus Candiæ anno 1572. institutus Patavii, à *Meletio Piga* Alexandrino Patriarcha Presbyter creatus est, missúsque in Poloniam, ut propositæ Lithuanorum cum Ecclesia Ro-

Quinque Patriarchatus.

Sub Turcis miseri Græci, & parùm tuti.

Patriarcharum fata.

De *Cyrillo Lucario*.

Ejus iter in Poloniam.

mana unioni obsisteret. Quo in itinere cùm familiari Protestantium consuetudine esset usus, eorúmque doctrinæ notitiam comparâsset, eam cum Verbo Dei consentire animadvertit, ac in pretio habuit. Redux ad suos, Meletii in Sede Alexandrina successor fuit, quam tenuit annis novendecim; deinde anno 1621. Constantinopolitanæ est admotus. Qua in statione, Jesuitis, cæterísque Pontificiis, non semel adversatus est, eorúmque odia in se concitavit. Erat tum Constantinopoli Legatus Belgicus, *Cornelius Haga*, eíque à *sacris* concionibus *Antonius Legerus*, Pedemontanus, Verbi Divini Minister: Quorum familiaritate usus Cyrillus, libros ex Occidente non paucos habuit, & in puriore doctrina non parùm confirmatus est. Quas quidem notiones, scriptâ Fidei Confessione, protulit, datísque ad multos literis confirmavit. Auxit ea res non mediocriter Latinorum in ipsum odia, qui

Fit Patriarcha Alexandrinus; Deinde Constantinopolitanus.

Legatus Belg. *Corn. Haga*; *Ant. Legerus*, ei à Sacris.

Cyrilli Confessio.

qui ad ei nocendum, eúmque à Sede deturbandum nihil omisêre: Quod & non semel, suis apud Turcas accusationibus & calumniis obtinuerunt: Sed amicorum auxiliis non semel etiam restitutus est. Tandem importunis Adversariorum criminationibus oppressus, in Occidentale castrum, quod Bosphoro imminet, translatus, & navi impositus, quasi esset in Insulam aliquam Maris Ægei deportandus, à Janissariis strangulatus est, 27. Junii 1638. Ei successit alter *Cyrillus*, Berrhoënsis, osor ejus acerrimus, qui & eôdem annô Synodum habuisse dicitur, quâ Lucarii memoria & Confessio damnata est. Sed & iste haud multò pòst Tunetum translatus, ibidémque strangulatus, successorem habuit *Parthenium*, æquiorem quidem Lucarii memoriæ, sed à quo tamen Lucarii Confessio, tanquam spuria, & falsò ei adscripta, damnata est, Jassi in Moldavia, an. 1642. Quanquam non desunt rationes & testimonia,

Varia Cyrilli fata.

Ejus mors an. 1638.

Cyrillus Berrhoënsis, Patr. CP. Cyrilli Lucarii Confessionem damnat.

Damnata & à *Parthenio* Patr. CP.

bus damnationes illæ infirmentur. Inclinante Sæculô, occasione controversiæ inter *Arnaldum* Sorbonistam, & *Claudium* Pastorem Carentoniensem, de *perpetuitate Fidei circa Eucharistiam*, nullum non lapidem moverunt Pontificii, operâ in primis Gallici in Aula Constantinopolitana Oratoris, ut Græcorum suffragia ad se traherent. Hinc nata Synodus Hierosolymitana, sub Dositheo Patriarcha, an. 1672. Sed emendicata Synodi illius decreta fuisse, vel sola Præfationis inspectio docet. Utcunque sit, ea est Græcorum novissimi temporis inscitia, penuria, levitas, eásque artes adhibuit, adhibétque etiamnum, ad eos sibi subjiciendos, Curia Romana, ut, in dijudicandis Controversiis, non magni ponderis eorum sententia esse debeat.

Disputatio de fide Græcorum circa Eucharistiam, inter *Arnaldum* & *Claudium*.

Græcorum hodiernorum suffragia non magni ponderis.

Summa Capita
SECTIONIS XIII.

Antitrinitarii *undique expulsi. Præcipui*

Digitized by Google

pui eorum Doctores, Sæc. XVII. Bibliotheca Fratrum Polonorum *quid contineat. Antitrinitarii passim abditi & dispersi.*

SECTIO XIII.

De Antitrinitariis.

PUlsis undique *Antitrinitariis*, neque alibi quàm in paucis quibusdam Poloniæ & Transsylvaniæ locis libero Religionis exercitio utentibus, sui tamen non defuerunt, totô hôc Sæculô, Doctores, & nonnulli quidem doctrina & scriptis clari; putà, *Valentinus Smalcius*, unus é præcipuis *Catecheseos Racovianæ* scriptoribus; *Johannes Crellius, Jonas Slichtingius, Joh. Lud. Wolzogenius, Samuel Przipcovius*, quorum opera, unà cum *Fausti Socini* scriptis, *Bibliothecam Fratrum Polonorum* constituunt; *Joh. Volkelius*, cujus habentur *de vera Religione* Libri VI. *Christoph. Sandius*, scriptor *Historiæ Ecclesiasticæ*, suo dogmati adcommodatæ; *Dan. Brenius*, aliíque.

Antitrinitarii undique expulsi.

Præcipui eorum Doctores Sæc. XVII.

Bibliotheca Fratrum Polonorum.

Digitized by Google

Dispersi passim & abditi.

Ferunt, non paucos, cùm Arianos, tum Socinianos, per varias Christiani nominis oras dispersos latitare.

Summa Capita

SECTIONIS XIV.

De Judæis *Seculi XVII.* Sabathai Zevi, *Pseudo-Messias. Fraudis progressus. Impostor à Turcis comprehensus, & in jus vocatus. Fit Muhammedanus.* Mardochai, *Pseudo-Messias. Doctores Judæorum celebres Seculô XVII. Ex-Judæi,* Spinoza *Atheus;* Vriel à Costa, *Deista.*

SECTIO XIV.

De Judæis.

De Judæis Sæculi XVII.

IN Judæorum Sæculi XVII. rebus, memorabilis est impostura Judæi cujusdam Smyrnensis, *Sabathai Zevi*, qui se Messiam, & alterius é Gaza, *Nathan Levi*, qui se Eliam Messiæ prodromum, fabulabantur. Incredibile dictu est, qui-

Sabathai Zevi Pseudo-Messias.

Digitized by Google

quibus artibus, qua impudentia, miseræ Genti illuserint, & quantam post se multitudinem traxerint. Cùm verò se Turcarum Imperatorem debellaturum, ejúsque Imperio finem adlaturum, gloriaretur Sabathai Zevi, à Turcis in vincula conjectus est, an. 1666. & Adrianopolim, ubi tum erat Imperator, advectus. Interrogatus, num esset Rex Judæorum, respondit, se criminis Majestatis insontem, Judaïcæ Legis Doctorem esse[f]. Sed cùm Imperator, ejus potentiam exploraturus, evaginato gladio eum trajici jussisset, metu mortis, ejuratô Judaïsmô, Muhammedanam Religionem amplexus est. Exortus est etiam an. 1682. novus Pseudo-Messias, *Mardochai*, natione Germanus, qui, vitâ austerâ, vitiorum increpatione, & simulatis cum Deo colloquiis, magnam sibi apud populares auctoritatem conciliavit: Sed & iste non multò pòst evanuit. Eminuêre inter Judæos, doctrinæ laude, *Ma-*

Fraudis progressus.

Impostor comprehensus, & in jus vocatus.

Fit Muhammedanus.

Mardochai, Pseudo-Messias.

Digitized by Google

Doctores Judæorum celebres, Sæc. XVII.

nasseh ben Israël, *Leo Mutinensis*, *Isaacus Athias*, *Isaacus Orobio*, cujus habetur collatio cum *Phil. à Limborch*, Theologo Remonstrantium.

Spinoza Atheus, *Uriel à Costa* Deïsta.

Ex-Judæus *Benedictus de Spinoza* novum Atheïsmi Systema protulit. Alter ex-Judæus, *Uriel à Costa*, Deïsmum professus est.

Summa Capita SECTIONIS XV.

Viri Docti Sæculi XVII. Philosophia & Ars Critica plurimùm promotæ. Renatus Cartesius. Petrus Gassendus. *Viri in universa literatura principes. Qui Antiquitates Ecclesiasticas præ cæteris illustrârunt.*

SECTIO XV.

De re Literaria.

Viri Docti Sæculi XVII.

NOn aliud Sæculum Virorum Doctorum feracius fuit, & in omni quidem Litterarum genere. Sed duæ tamen Disciplinæ singulari studio excultæ, & ad maximam,

Digitized by Google

mam, si non perfectionem, certè præstantiam, perductæ sunt, *Philosophia* & *Ars Critica*: Quarum é progressibus, cæteræ quoque Disciplinæ, *Theologia* cumprimis, non parùm lucis & commodi accepêre. Novam philosophandi rationem, ea quæ in Scholis vigebat longè rectiorem ac utiliorem, induxit *Renatus Cartesius*, Vir nobilis ex Aremorica, qui egregia non pauca retexit, optimásque ad Verum indagandum regulas præscripsit. Democriti & Epicuri Philosophiam, sed resectâ impietate, instauravit *Petrus Gassendus*, qui & insignis Astronomus fuit; Cartesius verò, Geometres præstantissimus. Ambos illos recentioris Philosophiæ principes ingens Discipulorum turba secuta est. Artem Criticam, ejúsque beneficio Literas omnes, cùm sacras, tum profanas, faustis auspiciis multi coluêre: Sed hi præ cæteris eminuerunt, *Josephus Scaliger*, *Isaacus Casaubonus*, *Hugo Grotius*, *Gerardus* Joan-

Philosophia & Ars Critica plurimùm promotæ.

Ren. Cartesius.

Petr. Gassendus.

Viri in universâ literatura principes.

Digitized by Google

Joannes Vossius, *Daniel Heinsius*, *Joannes Fridericus Gronovius*, *Claudius Salmasius*, *Samuel Bochartus*, *Ezechiel Spanhemius*, *Joannes Georgius Grævius*, quibus & alii magno numero se adjunxerunt. Ecclesiasticas Antiquitates, præter eos quos recensuimus, alii insuper multi illustrârunt; é Pontificiis quidem, *Cæsar Baronius*, Cardinalis, Annalium Ecclesiasticorum scriptor, *Gabriel Albaspineus*, *Nicolaus Rigaltius*, *Dionysius Petavius*, *Jacobus Sirmondus*, *Petrus de Marca*, &c. é nostris, *Jacobus Gothofredus*, *Jacobus Usserius*, *David Blondellus*, *Georgius Calixtus*, *Edmundus Albertinus*, *Johannes Dallæus*, *Johannes Pearson*, *Matthæus Larroquanus*, aliíque benè multi, quos recensere longum nimis foret. De cæterarum Disciplinarum cultoribus atque incrementis, hujus non est loci differere: Sed in Oratione nostra, *de Sæculo XVII. erudito*, de præcipuis nonnihil diximus.

Qui Antiquitates Ecclesiasticas illustrârunt.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX.

PARS PRIOR

De quidecim primis Sæculis.

PARS POSTERIOR

De Sæculis XVI. & XVII.

Digitized by Google

in
Digitized by Google


FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google